CORPUS SCRIPTORUM CHRISTIANORUM ORIENTALIUM

EDITUM CONSILIO

UNIVERSITATIS CATHOLICAE AMERICAE

ET

UNIVERSITATIS CATHOLICAE LOVANIENSIS

CURANTIBUS

I.-B. CHABOT, I. FORGET, I. GUIDI, A. VASCHALDE

SCRIPTORES SYRI

SERIES QUARTA

TOMUS VI

VERSIO

MDCCCCXXXIII


SEVERI ANTIOCHENI

LIBER CONTRA IMPIUM GRAMMATICUM

ORATIONIS TERTIAE PARS POSTERIOR

INTERPRETATUS EST

IOSEPHUS LEBON



LOVANII

E TYPOGRAPHEO MARCELLI ISTAS

MDCCCCXXXIII

LIBER
SANCTI MAR SEVERI
PATRIARCHAE ANTIOCHIAE
CONTRA IMPIUM GRAMMATICUM

ORATIO TERTIA
PARS POSTERIOR

CAPUT VICESIMUM ALTERUM

Quod etiam in iis, quae ad Nephalium scripsi, apte usus sum exemplo medici; et quod quasi per concessionem permittere voces contradicentium et eos propriis eorum *vocibus* ad veritatem adducere, non cladis est, ut putavit iste simul impius et indoctus, sed sine controversia ingentis *est* victoriae.

At ego, hanc vigilantem et prudentem sollicitudinem eximiorum doctorum sectatus, dixi, in illis orationibus, quas ad Nephalium scripsi: « Etiamsi haec sententia: « In duabus naturis individuis subsistit Christus post unionem » dicta fuerit a nonnullis ex antiquioribus doctoribus Ecclesiae, imo vel ab ipso Cyrillo, attamen postea reiecta fuit, quemadmodum et hanc sententiam: « Natura humanitatis passus est Christus », bene ab orthodoxis dictam, dici vetuit *Cyrillus,* adversus eos, qui divisionis morbo laborabant, consurgens; neque sic iis, qui in Chalcedone convenerunt, ullus relinquebatur apologiae modus, definientibus in duabus naturis individuis Christum cognosci[1]. » Nec quisquam posset patrocinium eorum suscipere dicendo nonnullos ex antiquioribus hanc ipsam *sententiam* dixisse, ubi semel sanctus Cyrillus medici more, attento morbo, prohibitionem ipsum *morbum* impugnantem statuit. Si vero nullus ex antiquioribus doctoribus videtur dixisse in duabus naturis individuis subsistere Christum, omnes autem docuerunt duarum naturarum factam esse coniunctionem, id autem, quod

[1] Haec verba Severi graece leguntur *P. Gr.*, LXXXVI, 1848.

*p. 3. ex ea effectum est, unum esse ex duobus, non vero duo, * — sicut et divus Iulius dixit: IULIUS: « Proclamatur autem in eo hoc quidem esse creatum in unione increati, illud autem increatum in coniunctione creati, una natura ex utraque parte subsistente[1] », — quomodo extremae dementiae crimine rei non erunt ii, qui voces eorum indocte proferunt et dicunt: « En patres dixerunt hoc quidem esse increatum in Christo, illud autem creatum; ergo in duabus naturis dicimus subsistere unum Christum. » Audient enim a nobis: Dixistis ea, ex quibus unio *facta est*; duo enim sunt illa, nam unio ex duobus vel ex pluribus fit. Ergo addite etiam terminum unionis, item cum Iulio dicentes: « Una natura ex utraque parte subsistente ». Nolite ergo dicere duas naturas post unionem. Equidem ea, quae coniuncta sunt, duo sunt; at id, quod effectum est, unum *est* ex duobus. Audivimus enim et sanctum Cyrillum exemplum hominis nostri similis adduxisse, dicendo: CYRILLUS: « Proinde illae duae *naturae* iam non sunt duo, sed utraque unum animal absolvitur[2].» Patres ergo mentionem unionis duarum naturarum fecerunt, eum vero, qui ex ea subsistit, unum ex duobus *esse* sciunt, non duos.

Sed ex iis quoque, quae ad Nephalium scripsi, partem cuius modo mentionem feci, in medium proferam; placuit enim Grammatico in indocto et impio libello *suo* illam etiam adducere et reprehendere. Scribitur autem sic: PATRIARCHAE *verba, ex orationibus* AD NEPHALIUM: « Neque mihi iterum dicas hac voce duarum naturarum nonnullos ex patribus usos esse; non enim *ea* usi sunt vestro sensu, etiamsi hoc assertioni concedamus. *p. 4. Tempore enim sancti Cyrilli, * morbo vaniloquiorum Nestorii in ecclesiis grassante, plerumque vox reiecta est; nam ad morbos remedia. Ergo non possunt voces aliorum Patrum, si reperiantur, — tanquam coniectura rursus hoc dico, — adversus sanctum Cyrillum proferri, qui contra morbum ingruentem remedium invenit; imo, plus dico: etiamsi ipsius Cyrilli sint voces antea dictae. Neque enim si eximius quidam medicus, exitiali morbo aliquam civitatem invadente, aquae potum prohibeat, potest aliquis, in medium progrediens, dicere ad illum: En medici patrum nostrorum aquae potum permittebant, imo tu ipse,

[1] H. LIETZMANN, *Apollinaris von Laodicea*, t. I, p. 187. — [2] *P. Gr.*, LXXVII, 245.

anno proxime praecedente, non interdicebas ne aquam biberemus. Iure enim diceret ad illum: Stulte! Ergo non vides morbum, cuius causa bibentibus aquam damnum accidit, sed ex bona valetudine vis perniciosae conditioni normam constituere[1]? »

His autem addit optimus iste et ait: GRAMMATICUS: « Haec revera sunt verba stulti. Etenim, quasi qui propheticum charisma sortitus est, imo quasi qui omnium cogitationes scrutatur, ecce iam loquitur, dicens: « Etiamsi Patres usi sint voce duarum naturarum, non tamen sicut vos *eam adhibuerunt*. Illi enim sine reprehensione; vos autem dolose ea voce utimini. » Et deinde impudenter decertans, in mendacio plerumque extollitur: « etiamsi verbo hoc concedamus »: non enim concessit, ut ostendimus, sed invite et valde coactus confessus est[2].» Vehementer quidem et strenue ostendisti * id, quod tibi placet, *p. 5. o bone, cum locum Ambrosii per fictionem mutasti et cetera impie excogitasti, sicut disputatio ostendit et iterum ostendet. Postquam autem e tenebricoso tuo libello sustulisti propositionem, quae immundissimam sententiam ineruditione notat: PROPOSITIO HAERETICORUM: « Quomodo non concedemus duas naturas subsistere indivise post unionem[3]? », — quam sapientissimus Cyrillus ut pollutam reiecit, dicens: CYRILLUS: « Adversatur iterum nihilo minus propositio iis, qui dicunt unam esse naturam Filii incarnatam, idque ineptum volentes ostendere, ubique conantur duas naturas subsistentes ostendere[4] », — haec etiam ausus es impudentissime, sed prorsus ridicule, explicare et scribere: GRAMMATICUS: « Dicit enim eos ubique conari ostendere duas naturas subsistentes, et evidenter *intelligit naturas* separatas[5]. » At reprehendit amentiam tuam propositio, quam abscidisti, quae clamat: PROPOSITIO HAERETICORUM: « Quomodo non concedemus duas naturas subsistere post unionem indivise[6]? », quam etiam ostendit eximius Cyrillus adversari iis, qui dicunt unam esse naturam Filii incarnatam. Iuste ergo, postquam ea, quae oculis omnium proponuntur, abscidisti et tenebras sacrilegi furti circum te constituisti, me in-

[1] De textu graeco loci cfr *P. Gr.*, LXXXIX, 109 et 280. — [2] Locum non repperi. — [3] *P. Gr.*, LXXVII, 244. — [4] *Ibid.*, 245. — [5] Locum non repperi. — [6] *P. Gr.*, LXXVII, 244.

sanire dicis, quemadmodum aliquis, in splendenti meridie palpebras suas claudens et voluntate sua in tenebris positus, putabit ceteros quoque non videre solem lucentem. Si enim ipsam propositionem non abscidisses, animadvertisses adversus eos, qui dicunt, sicut tu *dicis,* post unionem in duabus naturis individuis Christum subsistere, sanctum Cyrillum exsurrexisse et de illis dixisse eos prorsus supervacaneo asserere *Christum* « natura humanitatis » passum esse * eisque interdixisse, medicinae causa, hac formula quae sane et absque malo sensu ab orthodoxis usurpabatur, ita ut dicerent: « Christus carne passus est », sicut Scriptura inspirata dixit [1]. Tu vero dicis mihi me, tanquam propheticum charisma sortitum, putare me cogitationes tuas clare percipere, et confirmas a me antea aperte dicta, quae amentia censes, utpote destituta argumento rerum. Forsitan etiam iusiurandum tibi deferetur ut iuratus suadeas te non mala mente vel dolo dicere Christum in duabus naturis individuis subsistere post unionem. At neque prophetia indigeo, qua abscondita videam, neque investigatione circa tuas cogitationes. Dicit enim sacra Scriptura: « Divinatio in labiis regis; in iudicio autem non errabit os eius [2]. » Regem autem explicationis dogmatum si quis sapientissimum Cyrillum dixerit, non censebitur a recto declinare: ipse protulit iudicium absque errore et dixit eos, qui dicunt post unionem in duabus naturis individuis subsistere Christum, adversari et repugnare iis, qui unam confitentur esse naturam Filii incarnatam, eosque valde dolose et supervacaneo legitimam vocem ab orthodoxis bene usurpatam dicere, scilicet « natura humanitatis » et non potius « carne » ut dicitur in Scriptura divinitus inspirata, *Christum* esse passum.

Nonne ergo, postquam illam prohibitionem constituit sapiens Doctor, quisquis asserit aliquem ex Patribus, vel ipsum Cyrillum dixisse in natura humanitatis passum esse Christum, velut ad defensionem eorum, qui in duabus naturis confitentur * illum subsistere et supervacaneo dicunt in natura humanitatis illum passum, manifeste deprehenditur sedulae prohibitioni medici repugnans? Ipse enim dixit de iis, qui contra ipsum di-

[1] Cfr I Petr., iv, 1. — [2] *Prov.,* xvi, 10.

cebant: « Quomodo non concedemus duas naturas subsistere post unionem indivise [1]? »: Cyrillus: « Valde supervacaneo ergo dicunt *Christum* natura humanitatis passum esse, quasi illam a Verbo removeant et proprie seponant, ut duo intelligantur et non iam unum incarnatum et inhumanatum, illud ex Deo Patre Verbum [2]. » Igitur, qui advocatus fit eorum, qui in duabus quidem naturis individuis post unionem Christum subsistere impie confitentur, supervacaneo autem dicunt eum « natura humanitatis » passum, et in medium profert testimonia antiquorum doctorum, quae dicunt Christum « natura humanitatis » passum esse, — quod sanctus Cyrillus decrevit minime dicendum, cum vellet cohibere morbum eorum, qui impie confitentur Christum in duabus naturis subsistere et intelligi, — audict, et valde recte, ipsum vesaniae morbum medico imposuisse prohibitionem ipsius vocis, quam ante morbum et ipse dicebat et qui ante ipsum *fuerunt* doctores et medici.

Itaque ego quoque, ad Nephalium verbum faciens et volens superabundanter devincere contradictorem, concessionis figura usus sum atque dixi: « Demus τὸ dicere in duabus naturis individuis Christum subsistere, etiam ab antiquioribus, imo et ab ipso antea dictum esse. * Ponamus autem *Cyrillum,* cum adversus morbum sectatorum Nestorii pugnaret, hanc ipsam *formulam* prohibuisse, medici instar, qui vetat exitiali morbo oppressos bibere aquam. Numquid ergo recte diceret quis, post prohibitionem a medico factam, oportere aegrotantes utantur hac ipsa formula, quia ante morbum tum is, qui eam prohibuit, ea utebatur, tum ceteri quoque doctores et medici? Minime! Audiret enim iste id, quod recte quoad exemplum et imaginem aquae dixi: « Stulte! Ergo non vides morbum, cuius causa bibentibus aquam damnum accidit, sed ex bona valetudine vis morbidam conditionem ordinare. » Reprehensioni autem obnoxiam non esse, ut Grammaticus iste, divinis rebus minime imbutus et profanus, putavit, comparationem doctorum cum egregiis medicis, qui aegrotantibus obsequuntur, et modo quidem infirmitati indulgent [3] atque optata quaedam aegrotantibus saepe

[1] *P. Gr.,* LXXVII, 244. — [2] *Ibid.,* 245. — [3] Conicio interpretem graece legisse: συγχωροῦσι τῇ ἀσθενείᾳ.

concedunt, modo autem ad accuratam sanitatis custodiam *eos* extollunt, — sicut sanctus Cyrillus fecit quoad Orientales, — indicavit rerum divinarum peritus Athanasius, qui in apologia pro Dionysio haec scripsit: ATHANASIUS: « Non autem oportet aliquis ea, quae per oeconomiam scribuntur aut fiunt, mala mente accipiat et ad propriam malam voluntatem detorqueat. Nam et medicus saepe ea *remedia,* quae aliquibus non videntur congrua, vulneri nonnullorum, ut ipse novit, adhibet, nullum alium ac sanitatem scopum habens. Sapientis quoque magistri scopus hic est, ut nempe * pro ratione mentium eorum, qui instituuntur, doceat atque loquatur, donec eos ad perfectionis viam traduxerit [1]. »

* p. 9.

Hac autem figura concessionis solent doctores uti atque velut in agone superabundanter adversarium devincere. Cum enim lamentabiles Arii auxiliarii stulte et blasphemo sensu nomen «Pater» dicerent et vim ei adhiberent ad ostendendum illud esse designationem actionis, ita ut Pater intelligeretur agens, et Filius propterea effectus et creatus, non vero potius vera proles, Gregorius Theologus, postquam hoc absurdum et dolosum impietatis conamen, in prima oratione de Filio, reprehendit atque resolvit, ostenditque nomen « Pater » significativum esse verae et naturalis cognationis gignentis ad genitum, minime vero actionis, usus est etiam figura concessionis sicque perrexit: GREGORIUS NAZIANZENUS: « Sit autem, si placeat, « Pater » nomen actionis; ne sic quidem nos devincetis, sed hoc ipsum operatus erit Pater consubstantiale, etsi alioqui absurda est huiusmodi actionis opinio. Vides quomodo, dum malitiose decertare vultis, captiones vestras effugiamus [2]. »

Cum autem *Gregorius* hoc dixerit et ex abundanti usus sit figura concessionis, et concesserit postulationem adversarii, dixeritque: « Sit nomen « Pater » significativum actionis, si placeat », poteritne aliquis ipsi verbo vim adhibere et temere contendendo asserere *Gregorium* dare Filium esse non prolem sed opus, et ad cladem abscondendam hoc adiungere: GREGORIUS NAZIANZENUS: « etsi alioqui absurda *est huiusmodi actionis opinio», eumque, qui per concessionem dedit, quasi devictum irride-

* p. 10.

[1] *P. Gr.*, XXV, 488. — [2] *P. Gr.*, XXXVI, 96.

re et tuas, o Grammatice, voculas usurpare: «Non enim concessit, sed invite et valde coactus confessus est. Ita enim valida veritas ut etiam ab adversariis agnoscatur [1] »? At nemo attenderet eum, qui figuram verbi per concessionem *prolati* assensionem, deditionem et defectionem esse diceret; inspiceret autem *potius* quomodo quaestionem adversariorum prius diluisset et valide solvisset sicque ex abundanti concessionis figura usus esset.

Scito ergo, egregie Grammatice, me quoque, in duabus orationibus quas ad Nephalium scripsi, postquam omnia effata Patrum ab eo demonstrata in medium protulissem, et ostendissem quomodo dicta essent et potius sententiam impietatis impugnarent, quippe quae unum ex duobus Christum confiteri doceant, ex abundanti quidem figura concessionis usum esse atque dixisse: Demus τὸ dicere in duabus naturis unum Christum post inexplicabilem unionem ab omnibus antiquioribus doctoribus dictum esse. At sapiens Cyrillus, nestorianae dualitati omnem aditum praecludens et morbum cohibere studens, illud prohibuit. Et addidi ne sic quidem veniam esse iis, qui prohibitionem contempserunt et in duabus naturis unum Christum definierunt. Non enim possunt verba ceterorum Patrum, si quae reperiantur, — rursus per concessionem dico, — adversus sanctum Cyrillum proferri, qui grassanti morbo remedium invenit [2].

CAPUT VICESIMUM TERTIUM

* p. 11.

Confirmatur recte me dixisse non oportere, post inania Nestorii verba et cautiones sancti Cyrilli adversus impietatem atque *eius* prohibitiones vocum, dicamus Dei Verbum hominem assumpsisse, vel Christum vocemus duplicem aut hominem deiferum, vel coniunctionem nominemus inexplicabilem unionem divinae oeconomiae. Reprehensio quoque compendiosa eorum, qui machinantur ut in duabus substantiis definiatur Christus.

Peropportune autem cetera quoque apponemus, quae ab indocto Grammatico vituperata sunt, et ostendunt simul ignorantiam eius et impietatem et ineruditionem et imperitiam sacra-

[1] Locum non repperi. — [2] Cfr *P. Gr.*, LXXXIX, 112.

rum Scripturarum. Etenim scripsi in orationibus ad Nephalium: Patriarchae ad Nephalium: « Post vaniloquia Nestorii suspicioni obnoxium est dicere: « Hominem assumpsit Deus Verbum », sicut et sanctus Cyrillus, in prima epistula ad Succensum dixit: « Igitur factus est homo, non hominem assumpsit, ut Nestorio placuit[1]. » Attamen Gregorius Nazianzenus, in epistula ad Cledonium, recte usus est hac voce. Cum enim totam epistulam conscriberet adversus infausti nominis Apollinarium, asserentem absque mente esse carnem Domini, volens ostendere ea omnia, quibus constat homo, assumpta esse a Deo Verbo, sic dixit: Gregorius Nazianzenus: « ...prius quidem non hominem, sed Deum et Filium solum et saeculis antiquiorem, corpori non mixtum neque omnibus, quae corporis sunt, in fine autem etiam hominem pro salute nostra assumptum[2]. » *Voces* autem *προσληφθῆναι et ἀναληφθῆναι nihil inter se differre, quod sensum attinet, omnibus notum est[3]. »

Quae cum reprehendat Grammaticus, perinde ac si negaverim a Patribus adhibitam esse formulam: « Verbum Dei assumpsit hominem », studiose incumbit adducere locos, velut secretum quid agens et non omnibus notum; iamque ridiculus valde evidentium rerum magister praesidet, et frustra contendit demonstrare id, quod manifestum est, quasi aliquid ignotum statuens Patres quidem recto sensu dixisse: « Hominem assumpsit », Nestorium autem non ita. Porro, non perspexit iste amens nos id primo confessos esse dicendo Patres quidem, inter quos Gregorium Theologum et ipsum Cyrillum, sano sensu usurpavisse *hanc formulam,* sed post vaniloquia Nestorii eam prohibitam fuisse propter malam sententiam istius immundi et magistrorum eius, scilicet Diodori et Theodori, qui σχετικῶς κατὰ σχέσιν τῆς γνώμης ut aiunt, coniungunt hominem Deo Verbo. Neque apparet Doctorem *Cyrillum* usquam dixisse: « Si *formula* « Hominem assumpsit » usurpetur recto sensu, dicatur; si autem malo et contrario *sensu,* ne dicatur », sed impietatis aditum praecludens, simplicem et absolutam vocis prohibitionem praedicavit ubique, rectam proponendo *formulam* adversus sectatores Nestorii, — non enim dicimus ante Nestorium

[1] *P. Gr.*, LXXVII, 236. — [2] *P. Gr.*, XXXVII, 177. — [3] Locum patriarchae non repperi.

Cyrillum *ita praedicavisse,* — eamque ipse manifeste in propriis suis scriptis proferendo.

Scripsit enim ad Diodorum sic: Cyrillus: « At nos, o sapiens, stultitiam credentes esse sic sentire, dicimus Verbum assumpsisse carnem ex * sancta Virgine et hominem prodiisse, non autem in homine factum esse, aut visum esse hominem assumpsisse. Est autem potius unus idemque Filius, ita ut ex substantia Dei et Patris intelligatur divinitus, et ex nobis, id est, ex semine David, humanitus[1]. » Rursusque, postquam adduxit Diodorum dicentem: « Perfecta forma Dei Verbi, perfecta forma servi, quem assumpsit[2] », dicit ipse: Cyrillus: « At pro « factum est » vel « natum est secundum carnem ex muliere et prodiit homo », multis in locis accipit προσείληφε vel ἀνείληφε, ut ostendat hominem habentem coniunctionem relativam, nimirum ad Deum Verbum, minime vero eum, qui vere Dominus est, hominem factum esse nobiscum confiteatur[3]. » Cum autem ad Theodoretum scriberet, qui praestanti modo iuxta te, o Grammatice, de duabus naturis in suis capitulorum reprehensionibus disseruit, apologiam undecimi capituli texendo, haec dicit: Cyrillus: « Hominem autem assumptum esse a Deo non videtur sanctis Patribus; nunquam enim ita senserunt; sed ipsum potius ex Deo Verbum asserunt factum esse hominem, unitum carni animam intelligentem habenti; inconfusa autem et a mutatione penitus libera est unio, nam immutabile est Verbum Dei: et sic credimus[4]. »

Ex his ergo patet non fugisse sanctum Cyrillum hanc formulam dici a Patribus; attamen, quamvis sciret eos illam usurpasse quidem, sed alio, minimeque pravo Diodori atque Nestorii sensu, dixit, nullo modo distinguendo: Cyrillus: « Hominem assumptum esse a Deo non videtur * sanctis Patribus[5] », non more iudaico in littera consistens, sed mentem doctorum cognoscens et securus dicens: Cyrillus: « Nunquam enim ita senserunt, minime[6]. » Quapropter indiscriminatim, ut dixi, abnegavit formulam, ut aditum praecluderet impiorum sententiae, qua hominem secundum relationem Deo Verbo coniungunt. Neque hoc est bellum intestinum, sicut dixit stultus Grammaticus:

[1] Locum non repperi. — [2] Item. — [3] Item. — [4] *P. Gr.*, LXXVI, 449. — [5] *Ibid.* — [6] *Ibid.*

unum enim est os doctorum orthodoxorum, quia unus est sanctus Spiritus, qui loquitur in illis: pro ratione morborum variis temporibus erumpentium aptissimis usi sunt auxiliis, mala consilia resecantes et eandem quidem sanam mentem rectamque sententiam semper habentes, prudentioribus autem verbis impetus nunquam intermissos haereticorum cohibentes. Ita et Gregorius Theologus, in epistula ad Cledonium adversus Apollinaristas pugnans, ubi res postulabat, hominem dominicum [1] de Salvatore nostro dicere recusabat, sic dicens: GREGORIUS NAZIANZENUS: « Ne decipiant homines isti, neque decipiantur, mentis expertem accipientes dominicum, ut ipsi dicunt, hominem, potius autem Dominum et Deum nostrum. Non enim hominem separamus a divinitate, sed unum eundemque docemus [2].» Athanasius autem rerum divinarum peritus, sic, ut supra diximus, in prima oratione contra Arianos [3] scripsit: ATHANASIUS: «Alios quidem deceperunt talia dicendo, hominem autem dominicum non potuerunt decipere. Verbum enim caro factum est, quod scit cogitationes sapientium quoniam vanae sunt [4]. » * p. 15. * Apparet ergo etiam hic Athanasium recte dixisse « hominem dominicum », ut Paulus quoque dixit, cum loqueretur de homine nostro, exteriorem et interiorem nostrum hominem, minime dissecans ipsum hominem anima et corpore *constantem*, qui in una hypostasi componitur. Nam quia non in duo dividendo unum Christum nominavit « hominem dominicum », clarissimum effecit dictum per id, quod additum est, ubi significavit hominem dominicum esse Dominum et Deum inhumanatum. Etenim postquam dixit: « Hominem autem dominicum non potuerunt decipere », significavit quisnam esset homo dominicus adhuc dicendo: ATHANASIUS: « Verbum enim caro factum est, quod scit cogitationes sapientium quoniam vanae sunt, et quod decipi nequit [5]. » Verumtamen, id etiam probe scientes, ad prudentiorem vigilantiam, quae postea Gregorio Theologo placuit, attendimus et nemini concedimus ut hominem dominicum de Salvatore nostro dicat. Ipsum enim *Gregorium* non fugiebat id, quod dictum fuerat ab Athanasio, cuius doctrinas vocavit legem

[1] τὸν κυριακὸν ἄνθρωπον.— [2] *P. Gr.*, XXXVII, 177. — [3] Id est, in *Epistula ad episcopos Ægypti et Libyae*, 9. — [4] *P. Gr.*, XXV, 560; cfr *Psalm.* XCIII, 11. — [5] *Ibid.*

orthodoxiae [1]; sed considerans malam haereticorum sententiam, quae hominem a divinitate separat et hac voce velut ad divisionem unius Christi utitur, cautionem vigilanter adhibuit.

Aliam quoque vocem ab orthodoxis doctoribus sine reprehensione dictam, post morbum Nestorii omnino reici sapiens Cyrillus praecepit. Coniunctionem enim et unionem Dei Verbi ad carnem anima et mente praeditam « adhaesionem [2] » vocavit divus Iulius in oratione quae inscribitur *: « De unione in Christo corporis ad divinitatem Verbi », et haec scripsit: * p. 16. IULIUS: « Rursusque, quando praedicatur e caelo descendens homo caelestis, ne quis neget implicationem corporis e terra cum divinitate; nam non dividitur, neque re neque nomine, vel quando Dominus vocatur servus et quando increatus nominatur plasmatus per adhaesionem ad formam servi et ad corpus plasmatum. Proclamatur autem in eo hoc quidem esse creatum in unione increati, illud autem increatum in coniunctione creati, una natura ex utraque parte subsistente [3]. » Hic nomen « adhaesio » omni mala suspicione caret: idem enim et implicationem et unionem vocavit idque, quod ex ea absolutum est, dixit esse unam ex utroque, ex creato et increato, naturam, id est, *naturam* Verbi incarnatam.

Magnus autem Basilius, in epistula secunda ab ipso ad Neocaesarienses scripta, voce « adhaesio » usus sic scripsit: BASILIUS: « Multa autem et de adhaesione ad hominem dicta ad sermonem de divinitate referunt ii, qui indocte audiunt ea, quae scripta sunt [4]. » Sed et Gregorius Theologus, in magna epistula ad Cledonium, sic ait: GREGORIUS NAZIANZENUS: « Si quis dixerit *Verbum in Christo* sicut in propheta per gratiam operatum esse, non autem secundum substantian *humanitatem divinitati* adhaesisse et complasmatam esse, a praestantiori efficacia vacuus sit, id est, contraria plenus [5]. » Ecce, postquam voce « adhaesio » usus est dicendo « adhaesisse », * addidit « secundum substantiam », ut ostenderet hypostatice unitam esse Deo Verbo carnem rationali anima praeditam eamque tunc ad substantiam et existentiam venisse et existendi viam consecutam esse cum Verbo unita est, cum non substiterit neque plasmata fuerit ante unio- * p. 17.

[1] Cfr *P. Gr.*, XXXV, 1128. — [2] συνάφεια. — [3] H. LIETZMANN, t. I, p. 186. — [4] *P. Gr.*, XXXII, 776. — [5] *P. Gr.*, XXXVII, 180.

nem ad Verbum. Ideo enim satis ipsi non fuit dicere « adhaesisse secundum substantiam », sed addidit « et complasmatam esse ». Et haec dicendo, manifeste ostendit a seipso et a Basilio et ab omnibus qui, sicut ipsi, orthodoxi sensus fuerunt, « adhaesionem » vocatam esse unionem naturalem et veram et hypostaticam, non autem illam *unionem quae exsurgit* ex affinitate voluntatis et ex relatione amoris, qua prophetae quoque adhaeserunt Deo, qui amati sunt propter *suam* virtutem et praecogniti sunt hoc facturi, et ab ipsa plasmatione et a sinu genetricis electi sunt, ut Ieremias, et per participationem locupletati sunt virtute et operatione Spiritus divini.

Hanc enim immundam sententiam in antecessum reiecit Theologus, dicendo: Gregorius Nazianzenus: « Si quis dixerit *divinitatem in Christo* sicut in propheta per gratiam operatam esse [1].» Cum autem postea Nestorius immedicabili insania insaniret et fureret adversus consilium Altissimi [2], idque blasphemando ostenderet atque simpliciores ad id, quod sibi placeret, abriperet, et nomen adhaesionis ad relationem amoris, *exsurgentem* ex sensu amicitiae et dilectionis et ad voluntatem et aequalitatem dignitatis atque potentiae [3] illegitime transferret, eaque vellet coniungere Deum et hominem, sanctus Cyrillus prorsus prohibuit quominus diceretur adhaesio, sic scribendo in tertia epistula ad illum ipsum, qui ea contexuerat: Cyrillus: « Unus itaque Christus et Filius et Dominus, non quod eam simpliciter adhaesionem, quae *est* velut * secundum unitatem potestatis vel auctoritatis, habeat homo ad Deum. Non enim unit naturas aequalitas honoris; nam Petrus quoque et Iohannes sunt honore aequales, quatenus sunt apostoli et sancti discipuli, non tamen unus sunt isti duo. Neque enim secundum appositionem intelligimus modum adhaesionis, nam hoc non sufficit ad unionem naturalem *constituendam;* neque secundum communicationem relativam, quemadmodum et nos Domino adhaerentes, ut scriptum est [4], unus spiritus cum eo sumus. Imo, nomen adhaesionis repudiamus ut impar ad unionem vere significandam [5]. » Eodem modo dixit in oratione « Quod unus Christus »: Cyrillus: «Cur

[1] *P. Gr.*, XXXVII, 180. — [2] Cfr *Psalm.* cvi, 11. — [3] Haec mutatio in textu videtur requiri ad sensum congruum habendum. — [4] I *Cor.*, vi, 17. — [5] *P. Gr.*, LXXVII, 112.

autem unionem reiecerunt, quamvis vox sit usitata apud nos, imo et a sanctis Patribus ad nos sit transmissa, et adhaesionem nominant [1]? » Numquid ergo, o stultissime grammaticorum et aliene a divina doctrina atque abominande ignotarum rerum interpres, crimen ignorantiae, quo nos reprehendisti, inferes etiam sapienti Cyrillo, qui propter pollutas sententias absolute et summatim *eam vocem* reiecit, dicens: « Imo, nomen adhaesionis repudiamus », et: « Cur, postquam unionem reiecerunt adhaesionem nominant » ?

Pergit nunc *Grammaticus* et apponit nobis testimonia omnibus nota, in quibus Patres nomine adhaesionis usi sunt, et subtiles rediculasque explicationes elaborat. Ea quoque, quae ab omnibus proclamantur, ausus est pro virili parte illustrare, et eximium Cyrillum vocavit contemptorem patris sui et reprehendit eum quasi bellum intestinum adversus antiquiores doctores excitantem, * quia vocem bene ab illis dictam, scilicet « adhaesio », omnino vetuit nominari et dici. At nemo indoctas et impias nugas tuas attendet, sed considerans spiritum in sanctis Patribus loquentem, *unusquisque* ea remedia, quae a sequentibus doctoribus pro malis exsurgentium haeresium sententiis inventa sunt, cum fide et prudentia accipiet tanquam a prioribus doctoribus probata et introducta, secum reputans nullam haberi oppositionem, sed accuratiorem diligentiam et custodiam, quia, iuxta verbum apostolicum, « spiritus prophetarum prophetis subiciuntur; non enim dissensionis Deus, sed pacis [2] ».

Quod et Cyprianus, sua conversione a paganismo et praesertim splendore vitae suae in christianismo, rursusque sapientia et amplitudine in doctrina spirituali celeber, in epistula ad Quintum, velut regulam quamdam communem et definitionem in ecclesias inducens pro negotiis omni tempore incidentibus, significavit sic: Cyprianus: « Et iterum, in epistula sua, apostolus Paulus suadet et docet, paci et concordiae et ipse studens, huiusmodi verbis: « Prophetae duo vel tres loquantur, ceteri autem explanent. Quod si alii revelatum fuerit sedenti, prior taceat [3]. » Per hoc manifeste docuit atque ostendit multa singulis ad praestantius *bonum* revelari. Et ideo unumquemque

[1] *P. Gr.*, LXXV, 1285. — [2] I *Cor.*, xiv, 32-33. — [3] *Ibid.*, 29-30.

non oportet perpetuo et una sententia pro iis, quae sibi prius placuerint vel amplexus fuerit decertare, sed si praestantius quid et magis proficuum visum fuerit, *illud* libenter suscipere. Praestantiora enim ubi nobis demonstrantur, non devincimur sed docemur, praesertim in iis, quae conducunt ad unitatem ecclesiae et ad spem et ad veritatem fidei nostrae[1]. »

* p. 20. * At iste Grammaticus moabita vel ammonita et alienus a legibus Israel, cui ne ingredi quidem licet in synagogam Domini, declarationem doctorum ad praestantiora et accuratam adversus haereses custodiam spiritualis concordiae, quae unam eandemque mentem ecclesiae servat, bellum intestinum vocat, atque ex amenti ignorantia ea quoque, quae in orationibus, quas ad Nephalium scripsi, *habentur,* stulte reprehendere audet. Sic autem se habent: Patriarchae, ex *orationibus* ad Nephalium: «Rursus post abscissionem Nestorii, reprehensioni subiacet dicere Christum *esse* duplicem, quia iste dixit: Nestorius: « Duplices apud Christum naturas distinguo: duplices enim sunt secundum naturam, sed secundum dignitatem singulares[2]. » Ideo ergo et Cyrillus in epistula sua ad Nestorium apparet dicens: Cyrillus: « Voces autem in evangelio de Salvatore nostro *prolatas* neque duabus hypostasibus, neque duabus personis dispertimus; non enim duplex est unus et solus Christus, quamvis ex duabus rebus in unitatem indivisibilem coaluisse intelligatur, quemadmodum etiam homo ex anima et corpore *constitutus* intelligitur, non tamen duplex est, sed potius unus ex utroque[3]. » Et iterum, in libris adversus blasphemias Nestorii, in tomo secundo, dicit: Cyrillus: « Non enim quia Verbum, quod ex Deo *est,* cum carnem assumpsit, prodiit homo nobis similis, ideo et duplex appellandus est[4]. » Attamen videtur Gregorius Nazianzenus, in oratione de nativitate Christi, hac voce irreprehensibiliter usus, dicendo: Gregorius Nazianzenus: « Missus quidem est, sed ut homo; duplex enim est[5] », postquam paulo ante dixerat: « Progressus autem * Deus cum assumptione, unus ex duobus inter se contrariis[6]. » * p. 21.

[1] Edit. Hartel, t. II, p. 773. — [2] Loofs, *Nestoriana*, p. 354. — [3] *P. Gr.*, LXXVII, 116. — [4] *P. Gr.*, LXXVI, 84. — [5] *P. Gr.*, XXXVI, 328. — [6] *Ibid.*, 325. Totus locus ut excerptus ex orationibus Severi ad Nephalium graece non servatus est.

Contra haec Grammaticus, ac si dixerimus nos ante morbum Nestorii nullum ex Patribus et deiferis doctoribus duplicem dixisse Christum, insania impietatis atque ignorantia insaniens, sicut daemoniacus, qui in sacris evangeliis dicitur catenas et vincula dirupisse et ad monumenta cucurrisse[1], frustra currit et audet producere testimonia, in quibus Patres Christum dixerunt duplicem. At promptum est ad illum dicere: O bone, si vigilares, aperte agnosceres tibi adesse id ipsum a nobis iam scriptum, circa quod frustra laboras atque desudas! Cum enim Gregorium in medium produximus, in illo omnes doctores, qui eadem sentiunt, produximus. Ex duabus naturis confitentur *esse* Christum, et ideo irreprehensibiliter, minime vero sicut Nestorius, duplicem vocaverunt illum, sicut et hominem nostri similem unam personam ex duobus confitentes, et unam naturam atque hypostasim, absque ulla reprehensione illum etiam duplicem vocant, propter duplicem circa illum contemplationem, sicut Gregorius, in oratione de baptismo, significavit haec scribendo: Gregorius Nazianzenus: « Cum ergo simus duplices, ex anima dico et corpore, et una quidem natura invisibilis, altera autem visibilis, duplex quoque est purificatio, per aquam dico et spiritum, una quidem visibiliter et corporaliter accepta, altera autem incorporaliter et invisibiliter concurrente[2]. »

Ita etiam sanctus Iohannes, episcopus constantinopolitanus, * in oratione cui titulus « De obscuritate Veteris Testamenti », cuius initium est: « Gaudet quidem bubulcus », dixit: Iohannes constantinopolitanus: « Duplex enim est hoc animal, homo ex duabus substantiis compositus, una sensibili, altera intelligibili, *ex* anima dico et corpore, et in caelo et in terra cognationem habet. Etenim per intelligibilem substantiam supernis virtutibus participat, per sensibilem vero terrenis rebus coniungitur, cum sit arctum quoddam vinculum utriusque creaturae[3]. » Et post pauca: « Propterea, ex duabus substantiis compegit nos Deus[4]. » * p. 22.

Ostende ergo, o optime, synodum chalcedonensem ex duabus naturis definivisse *esse* unum Christum, ut discamus illam, sicut illos sanctos Patres, τὸ « duplex » irreprehensibiliter sensisse

[1] Cfr Marc., v, 2 et seq. — [2] *P. Gr.*, XXXVI, 368. — [3] *P. Gr.*, LXI, 182. — [4] *Ibid.*, 185.

et dixisse, velut ad contemplationem solummodo differentiae substantiae eorum, quae in unum coniuncta sunt. Si vero Christum ex duobus dici exclusit, maluit autem illum in duabus naturis non separatis neque divisis definire, omnibus evidens est illam *synodum* scire et intelligere *Christum* duplicem sicut Nestorius, qui dixit, in oratione cui inscribitur : « Expositio fidei [1] », sic : NESTORIUS : « In utraque ergo natura unum Filium et Iudicem omnium nostrum exspectamus, visibilem simul eundem et invisibilem, sed visibilem quatenus, cum substantiam nostram visibilem assumpsit, inseparabilem semper eam habere voluit, invisibilem vero in substantia divina, in qua nullus ex hominibus illum vidit, sed nec videre potest [2], iuxta verbum divi Apostoli [3]. » Eum autem adducit sanctus Cyrillus, in primo tomo adversus blasphemias eius [4], haec quoque scribentem : *NESTORIUS : « Unicitatem filiationis servemus in natura divina et humana [5]. » RURSUSQUE, IN TOMO SECUNDO [6] : « Sed Filius est duplex, non dignitate sed natura [7]. »

* p. 23.

Quid ergo, o Grammatice, putas te vitaturum consensionem Nestorii dicendo te in utraque substantia confiteri Christum? Ecce enim et ipse *Nestorius,* ut vides, formulam « in duabus naturis » interpretatus est *ut* « in duabus substantiis ». Si vero ad significationem genericam confugias, secundum quam scimus substantiam comprehendere multas hypostases, ad hanc absurditatem et impietatem tua amentia detruderis, ut dicas substantiam sanctae Trinitatis incarnatam esse in substantia et toto genere humanitatis : quod ratio multum scrutata [8] demonstravit. Te autem docebunt allatae sententiae Gregorii Theologi et sancti Iohannis de constitutione hominis nostri similis quoad unam ex duobus compositam hypotasim, substantias illas ex quibus unus iste coalescit, non *ut* genera significare, quia non generum est compositio, sed unius animae et unius corporis, ex quibus unum animal subsistit, habetque cognationem ad ea, quae ex qualibet parte similis generis *sunt* et similis substantiae. Dixit enim : IOHANNES CONSTANTINOPOLITANUS : « Duplex est hoc animal, ho-

[1] Cfr supra, huius versionis t. I, p. 120. — [2] I TIM., VI, 16. — [3] Locum non repperi, sed cfr LOOFS, p. 330, e. — [4] *P. Gr.*, LXXVI, 36. — [5] LOOFS, p. 328. — [6] *P. Gr.*, LXXVI, 84. — [7] LOOFS, p. 281. — [8] Conicio interpretem legisse in graeco : ὁ λόγος πολυπραγμονῶν.

mo ex duabus substantiis compositus. » Nam nomine generico « substantia » pro indicatione particulari utebantur, et quandoque unam hypostasim determinatam solent Patres vocare unam substantiam : idque fusis verbis supra ostendimus.

* Haec autem ex abundanti diximus ut ostenderemus eos, qui dicunt Christum in duabus naturis vel substantiis subsistere, illum vocare duplicem, sicut Nestorius *Christum ita vocavit,* non autem sicut doctores orthodoxi *Nestorio* antiquiores, qui ex duabus naturis confessi sunt Filium immutabiliter incarnatum et perfecte inhumanatum, quia post reiectionem a sancto Cyrillo *factam,* in perpetuum et omnimodo recusamus duplicem dicere Christum, sicut et nomen «adhaesio» bene a Patribus dictum, item *reiecit* ut impetus sententiae Nestorii prorsus cohiberet. Universe enim *illud* reiecit et de illo quoque similiter et sine limitatione scripsit : CYRILLUS : « Non enim quia, cum carnem assumpsit, Verbum quod ex Deo Patre *est* prodiit homo, hanc ob causam appellabitur et duplex [1]. »

* p. 24.

At strenuus Grammaticus, qui in verba divina illotis pedibus irruit, quasi aliquid difficile inventu faciens, locos Gelasii, qui fuit episcopus Caesareae, in medium profert, duplicem appellantes nobis Christum. Numquid ergo, quia idem Gelasius hominem deiferum vocat Christum, scribendo in oratione contra Arianos sic : GELASIUS : « Itaque ille vir deifer, quem mortis passionem ultro sufferre decebat propter auxilium hominum, coronam quidem gloriae [2], ut ait verbum *Scripturae,* gloriam potentiae assumpsit, assecutus est autem gloriam, quam antea non habebat [3] », ambigemus de universali prohibitione sapientis Cyrilli, qui decrevit nullo modo Christum hominem deiferum nominatum iri, tibique impio et subtili interpreti praestolabimur, ut dilucides nobis quonam quidem * sensu Gelasius, quonam autem rursus Nestorius Christum deiferum vocaverint, et *quomodo* Cyrillus in periculum non veniat ne contemptor patris sui fiat atque adversus antiquiores doctores bellum intestinum et certamen gerat? At quivis religiosus a te velut ab immundo et amenti faciem suam avertet et verbis ineptiarum tuarum aures suas claudet atque ut legem retinebit reiectionem *factam* ab

* p. 25.

[1] *P. Gr.*, LXXVI, 84. — [2] Cfr I PETR., V, 4. — [3] Locum non repperi.

eximio Cyrillo, quae in quinto apostolicorum eius capitulorum universe et clare clamat: CYRILLUS: « Si quis dicere audet hominem deiferum Christum, et non potius eum esse Deum secundum veritatem, utpote Filium unum et secundum naturam, quatenus Verbum caro factum est et communicavit perinde ac nos sanguini et carni, anathema sit [1]. »

Nos ergo reiectiones a sancto Cyrillo factas velut sacram quamdam anchoram retinemus et Christum neque hominem deiferum, neque duplicem nominamus, neque quidquam aliud huiusmodi. Nam et ipsa sancta et oecumenica synodus ephesina, diligenter consentiens iis quae antea a doctoribus dicta sunt, et ad eundem sensum sancti Cyrilli *verba* recurrere animadvertens, accuratas horum ipsorum verborum reiectiones recepit, ut integritas et pietas doctrinae servaretur, minimeque per introductionem *horum* verborum vis ei inferretur a sectatoribus Nestorii. Quapropter et ea, quae adversus impium Nestorium scripta sunt *a Cyrillo,* confirmavit synodus, signavit et coronis orthodoxiae coronavit, ita ut etiam spiritus apostolicorum doctorum praecedentium exsultarent, simulque sententiam dicerent.

* p. 26.

CAPUT VICESIMUM QUARTUM

Quod cum duplicem speciem cognitionis et contemplationis et verborum de Christo, — est enim una Deo digna, altera autem humana, — aut etiam temporum contrapositionem vel differentiam substantialem, ex ignorantia deducant impii ad sectionem unius hypostasis et naturae Verbi incarnatae, *Verbum,* quod ad ipsos attinet, διφυής atque διπρόσωπος efficiunt, et merito secundum impietatem suam vocantur diphysitae et diprosopitae.

At videamus quemnam locum ex ipsis scriptis Spiritu sapientis Cyrilli Grammaticus nobis proferat ad constitutionem erroris sui, cum ne unum quidem ex scriptis Doctoris ex toto legerit, — nam quomodo comparatus esset qui in tam indoctis sententiis impietatis natat? — sed ex excerptis alienis [2] alas graculi [3] malae doctrinae collegerit. Etenim ex illo studiosorum Nestorii

[1] *P. Gr.*, LXXVII, 120. — [2] Id est, ab aliis collectis. — [3] Alludit ad notissimam fabulam aesopicam, sicut etiam in opere suo *Philalethes* (edit. SANDA, p. 77 textus et p. 99 versionis).

libro, qui sanctum Cyrillum tanquam impiis ipsorum doctrinis consentientem calumniatur [1], — contra quem Philalethen scripsi, — capitulum ducentesimum tricesimum septimum subtraxit optimus iste, — forsan autem et ab alio illud desumpsit, — et in lamentabili *suo* libello sibimet contradicendo apposuit partem eius. Istud autem capitulum integrum reperitur in libro nono *operis* de adoratione in spiritu, sicque se habet: CYRILLUS: «Non igitur aequabit divinitatis excellentiam humanitas, multum enim abest [2]. Itaque nobis similis factus et intellectus dicebat: « Pater meus maior me est [3] », quamvis secundum naturam divinitatis aequalis sit et excellentia * genitoris sui minime inferior. Celsitudo vero columnae decemcubitalis; perfectus enim est Christus in omnibus sublimitatibus divinitatis: porro *ut* perfectionis signum assumitur in divina Scriptura numerus qui ad decem pertingit. Aureum autem caput habet columna, rursusque corpus aureum: sublimis enim naturae habitatione ditatur id, quod ex Virgine *est,* templum; symbolum autem divinitatis est aurum, quod supremam habet sublimitatem, aurum dico secundum talem materiam. Ex argento autem et ex duobus est basis: splendidus enim et clarus est Christus in terra, iuxta *verbum*: « Deus Dominus et illuxit nobis [4] », et velut duplex est cognitio eius: concipitur enim simul Deus et homo. Hoc enim puto esse τὸ duplicem et ex argento habere basim [5]. »

* p. 27.

E quibus postquam partem, ut dixi, posuit Grammaticus, et id quidem perverse, neque servando dispositionem et ordinem sermonis Doctoris, sicut auditione ad ipsum pervenit, quin *illam* accurato studio processus et cohaerentiae operum emendaret, gaudet et laetatur, atque prae voluptate accedit ad scribendum haec: GRAMMATICUS: « Vides: docet duplicem esse Christo cognitionem, quatenus intelligitur Deus et homo. Attamen nos contemnunt, magnoque impietatis risu rident et diphysitas nos vocant isti impugnatores oeconomiae Christi. Porro illos fugit nobis suavius esse cum Cyrillo saepe reponi [6]. »

Et quis adversus eos, qui tam absurde gaudent in iis, quae

[1] Iste liber tum graece, tum syriace servatur, sed ineditus manet. Cfr SANDA, *op. cit.*, p. 4. — [2] Ad verbum vertit, sed male intellexit interpres formulam graecam: πολλοῦ γε καὶ δεῖ. — [3] IOH., XIV, 28. — [4] *Psalm.* CXVII, 27. — [5] *P. Gr.*, LXVIII, 636. — [6] Locum non repperi.

ipsis deflenda forent, et velut suis innituntur iis, de quibus erubescere deberent, cum ex illis arguantur, * non excitabit sapientem Cyrillum dicentem ea, quae ex persona Sapientiae dicuntur in libro Proverbiorum: « Vocabam et non audivistis me; proferebam verba mea et non suscepistis, sed vana efficiebatis consilia mea, non autem ad increpationes meas attendistis. Ideo ego quoque irridebo ruinam vestram; gaudebo autem cum venerit super vos perditio[1] »? Etenim in capitulo posito nihil alienum aut insolite dictum reperire est, sed id solum, quod ubique habetur in verbis Doctoris et patefacit eos, qui duplicitate naturarum Emmanuelem post unionem dissecant. Porro illud est τὸ ex duobus illum confiteri, quod indicat unionem hypostaticam, quae efficit ineffabili et eximio modo unam hypostasim et naturam Verbi incarnati. Dixit enim: CYRILLUS: «Ex argento autem et ex duobus *est* basis: splendidus enim et clarus est Christus in terra iuxta verbum «Deus Dominus et illuxit nobis[2].» Qui autem ita se habet et ex duobus in indivisibilem unionem coalescit, cum compositus exsistat, secundum contemplationem et cognitionem utique separatur, quatenus intellectus subtilibus phantasiis cognoscit duarum naturarum inter se non consubstantialium factam esse naturalem coniunctionem; et διφυής est cognitio et contemplatio circa ipsum. At ubi accedit cogitatio unionis, unam ex duobus ostendit absolvi naturam et hypostasim, Verbi nempe incarnatam, non autem in duabus naturis subsistere neque διφυᾶ esse Christum. Sic enim dixit Doctor: CYRILLUS: « et velut duplex est cognitio eius; concipitur enim simul Deus et homo[3] »; non autem dixit: « velut διφυής exsistens » sed unus quidem ex duobus, nam « ex argento et ex duobus *basis », duplex autem et διφυής contemplatio et cognitio circa ipsum, quia item secundum contemplationem et cognitionem tantum sunt ea, quae sic se habent, separata.

Nonne hoc est quod habetur in praestantissima secunda epistula ad Succensum, quae saepissime legitur sed non intelligitur ab impiis: CYRILLUS: « At eos fugit ea omnia, quae non sola contemplatione separari solent, prorsus etiam in diversitatem distinctam singillatim a se mutuo recedere. Sit autem nobis

[1] *Prov.*, I, 24-26. — [2] *P. Gr.*, LXVIII, 637: *Psalm.* CXVII, 27. — [3] *P. Gr.*, LXVIII, 637.

rursus in exemplum homo nostri similis. Duas namque naturas etiam de ipso intelligimus, unam quidem animae, alteram autem corporis. Sed meris cogitationibus discernentes et subtilibus contemplationibus seu phantasiis intellectus differentiam apprehendentes, non seorsum ponimus naturas, neque rursus perfecte virtutem sectionis imponimus illis, sed unum esse intelligimus, ita ut illae duae *naturae* non iam sint duo, sed utraque unum animal absolvatur[1]. »

Ostende ergo, qui inepte, quia et impie, apologiam struis, et facile, quia et indocte, loqueris, synodum chalcedonensem definivisse ex duabus quidem naturis esse Christum, διφυᾶ autem et duplicem esse cognitionem et intellectum et contemplationem circa ipsum. Cum autem necessaria argumentatione id ostendere non valeas, irrideberis, qui temere scripsisti: GRAMMATICUS: « Nobis suavius *est* cum Cyrillo saepe reponi[2]. » Etenim inveniri etiam potest duplici quoque verborum specie Salvatorem nostrum Christum usum esse, et nunc quidem ut Deum eo, qui Deum decet, modo divina * locutum: « Ego et Pater meus unum sumus[3] », rursusque: « Qui vidit me, vidit Patrem[4] », nunc autem ut hominem eundem humano modo humana locutum et ea, quae tandem ipsum non decebant priusquam sufferret voluntariam exinanitionem, verbi gratia: « Non possum a meipso facere quidquam[5] », et: « Missus sum[6] », et: « Mandatum accepi[7] », et omnia huiusmodi; neque ideo cum duplici verborum aspectu eum dissecamus et in duabus naturis subsistere dicimus atque unicuique ex naturis distribuimus sermones ipsi congruentes, ita ut separatim et in propria persona illos *sermones naturae* loquantur. Hanc enim impietatem redarguit sapiens Cyrillus, contra Theodoretum scribens, in apologia adversus reprehensionem quarti *capituli*: CYRILLUS: « Melius dixerim et longe eruditius esse voces humanas referre non ad alteram personam magis, quae intelligitur proprie et seorsum Filius, ad formam servi, sicut illi dicere solent, sed illas potius tribuere mensuris humanitatis eius. Oportebat enim eum, cum sit simul Deus et homo, per utrumque sermonem procedere[8]. »

[1] *P. Gr.*, LXXVII, 245. — [2] Locum non repperi. — [3] IOH., X, 30. — [4] *Ibid.*, XIV, 9. — [5] *Ibid.*, V, 30. — [6] Cfr. v. gr., *ibid.*, X, 36. — [7] *Ibid.*, X, 18. — [8] *P. Gr.*, LXXVI, 413.

Itaque forma quidem sermonum duplex est, unus autem ex duobus Christus, ex divinitate et humanitate, qui utroque modo loquitur, non autem dissecatur post unionem duplicitate formarum et naturarum. Omnis quidem contemplatio et cognitio circa illum duplicem habet rationem et enunciationem, sed, ut diximus, inexplicabilem inhumanationem non dissecat; significat autem Verbum Dei saeculis antiquius in fine dierum immutabiliter factum esse hominem, non desinendo esse Deum, et modo quidem in aeterna et naturali magnificentia verbis exaltari, * modo autem, tempore voluntariae exinanitionis demissionem et humilitatem apte disponere in verbis, secundum oeconomiam ad alia procedens et ad humanas mensuras descendens ac velut deficiens, ut ipsis rebus ostendat se, ut scriptum est, exinanivisse semetipsum, et formam servi accepisse [1]. Hoc autem docet etiam peritissimus rerum divinarum Athanasius in iis quae de Trinitate contra Arianos scripsit, — afferuntur autem *haec* et ab eximio Cyrillo in ea ad monachos epistula, cuius initium est: « Venerunt quidem nonnulli de more Alexandriam [2]», — hoc modo: Athanasius: « Hic igitur scopus et character est divinae Scripturae, uti saepe diximus, ut duplex sit in ipsa praedicatio de Salvatore nostro: quod *scilicet* semper Deus erat, et est Filius, et est Verbum et splendor et sapientia Patris, et quod in fine propter nos carnem sumpsit ex Virgine Dei genetrice Maria et homo factus est [3]. » At idem permagnus Athanasius, qui novit duplicem esse sermonem et cognitionem et contemplationem circa Christum, quae manifeste ostendit illum, semper exsistentem Deum, in fine immutabiliter, cum incarnatus est, hominem esse factum, demonstravit quoque Christum non esse duas naturas, sed unam naturam Dei Verbi incarnatam. Etenim in libris de incarnatione Verbi etiam scripsit, — quae attulit sanctus Cyrillus, tum in iis quae ad Theodorum mopsuestenum scripsit [4], tum in defensione capituli octavi adversus reprehensiones Andreae [5], tum in ea ad Reginas oratione, cuius initium est: « Decus quidem orbis terrarum [6]», — sic: Athanasius: « Confitemur eum esse et Filium Dei et Deum secundum spiri-

* p. 31.

[1] *Philipp.*, II, 7. — [2] *P. Gr.*, LXXVII, 9; cfr *ibid.*, 13. — [3] *P. Gr.*, XXVI, 385. — [4] Pusey, *In Iohann.*, t. III, p. 516. — [5] *P. Gr.*, LXXVI, 349. — [6] *Ibid.*, 1201; cfr *ibid.*, 1212.

tum, hominis autem filium [1] secundum carnem; non duas naturas *confitemur esse* unum * Filium, unam adorandam et unam non adorandam, sed unam naturam Dei Verbi incarnatam et una adoratione cum carne eius adoratam [2]. » Itaque evidens est *Christum,* etsi duplex est contemplatio et cognitio et praedicatio sermonum circa ipsum, quia, cum Deus esset ante saecula et aeterno, in fine idem factus est homo, tamen non ideo esse διφυᾶ, neque in duabus naturis subsistentem intelligi post inexplicabilem unionem. Audi enim iterum eximium Cyrillum qui, in libro quinto operis de sancta Trinitate ad quemdam Hermiam per interrogationem et responsionem *compositi,* sic scripsit: Cyrillus: « Duplicem inducit mysterium cognitionem [3]. Unum enim tempus statuit, quod in principio et ab initio *est,* in quo erat Verbum in forma et aequalitate Dei et Patris, alterum autem et in fine, in quo veluti dimittens τὸ esse in forma et aequalitate Patris, semetipsum exinanivit et formam servi accepit, et ipsam in cruce mortem sustinuit. Tunc enim etiam quod natura et velut per substantiam habebat, inditi modo et gratiae loco accipere putatus est, *nomen* videlicet super omne nomen, et quod adorandus sit a nobis et a sanctis angelis. — Altera persona. Ita est. — Prima persona. Omnis ergo Scripturae inspiratae sermo utrumque respicit. Modo enim de Filio nondum ad exinanitionem demisso, sed in divinitatis celsitudine et in iis, in quibus etiam Pater *est,* constituto ut de Deo loquitur [4]; modo autem rursus cum voluntariis inclinationibus *et* miseratione erga nos ad exinanitionem et carnis ignobilitatem vocatum [5] desuper delapsum * manifeste ostendit [6]. Utrum ergo, — etenim rogabo, — ii sapientes et acuti censeri debeant, qui διφυᾶ et διπρόσωπον in his sermonem admittunt, et aptis temporibus mysteriorum explicationem [7] distribuunt, an ii, quibus placet confusionem quandam et permistionem personarum [8] simul ac

* p. 32.

* p. 33.

[1] Ex mendo mere materiali amanuensis textus syriacus habet: «hominem». — [2] *P. Gr.*, XXVIII, 25, et Lietzmann, p. 250. — [3] Haec verba non repperi in textu graeco huius loci. — [4] θεολογεῖ. — [5] Graece habetur: κεκλεισμένον, sed interpres legit: κεκλημένον. — [6] Structuram huius sententiae interpres mutavit, sensum distinctionis ὁτὲ ... ὁτέ non assecutus; eam iuxta textum graecum in versione restitui. — [7] τὴν μυσταγωγίαν. — [8] Graece habetur: πραγμάτων, sed interpres legit: προσώπων.

temporum excogitare, ita ut *in*discriminatim ea, quae carnis et propter carnem *sunt,* referant ad Verbum ex Patre genitum, ea autem, quae Unigeniti propria sunt et peculiaria, carni et tempori eius ascribant? — ALTERA PERSONA. Et quomodo dubium sit praestare Christum quidem et Filium unum confiteri secundum Scripturas, sed secundum cogitationes et rationis contemplationem eum, cum Unigenitus natura procul esset ab eo, qui secundum unionem est, concursu ad carnem, *confitèri* divinitatis honoribus ceu propriis et naturalibus convenienter fulgere, quia vero carni coniunctus est et homo factus, tunc utique ea accepisse, quae ab exinanitione proveniunt? — PRIMA PERSONA. Necessaria igitur est de utroque sententia, si congrua singulis temporibus tribuat. — ALTERA PERSONA. Sane quidem. — PRIMA PERSONA. Sinere vero ut cum confusione permisceantur ea, quae ad utrumque [1] pertinent, prorsus stultum est; hoc enim, perturbationem et obscuritatem generando, eripiet a nobis id, quod recte se habet ad cognitionem. — ALTERA PERSONA. Verum est. — PRIMA PERSONA. Haec autem *distinctio, scilicet:* « modo quidem ut Verbum et carnis expers et Unigenitus a Patre, modo autem ut homo adeoque primogenitus et in multis fratribus *loquitur aut describitur Christus* », nonne convenientissime et sapientissime per utrumque verborum genus procedet, tum per id, quod ad sublimem perfectionem irrepit, tum per id, quod deorsum * p. 34. * et ad nos descendit atque demittitur, siquidem propositum et scopus ei erat suadere iis, qui in terris *sunt,* eum esse vere Deum ex Deo, descendisse vero propter nos ad nostra, nec exinanitionis mensuram dedignatum esse [2]. »

En, manifeste τό « διφυής » vocat διπρόσωπον. Numquid ergo, o pessime et indoctissime grammaticorum, quia sermonum habitus et contemplatio et secundum cogitationem cognitio διφυής est atque διπρόσωπος, vel *quia* tempora distinguit, *scilicet tempus* incarnationis et *tempus incarnationem* praecedens, aut *quia statuit* substantialem differentiam eorum, quae secundum naturalem coniunctionem in unum coniuncta sunt, ideo διπρόσωπον et διφυᾶ dicemus ipsum Christum? Minime gentium! Sua enim sponte venit sapiens Cyrillus et in medio stat, doctoris more huiusmodi errorem increpans iis, quae in oratione prosphonetica

[1] In margine: utrumque tempus. — [2] *P. Gr.*, LXXV, 932.

ad religiosissimum imperatorem Theodosium sic scripsit: CYRILLUS: « Noli enim mihi dividere, post unionem, neque separare in hominem singillatim et Deum Verbum, διπρόσωπον fingens Emmanuelem, ne quis merito nobis notam inurat quod nihil quidem rectum sapere velimus, sed ea potius, quae sacra Scriptura damnata sunt. Sic enim dixit aliquis ex discipulis Christi: « Vos autem, carissimi, memores estote verborum, quae praedicta sunt ab apostolis Domini nostri Iesu Christi, qui dicebant vobis, quoniam in novissimis temporibus venient illusores velut in illusione ambulantes secundum desideria ipsorum impia. Hi sunt qui segregant, animales, spiritum non habentes [1]. » Etenim, etiam de homine nostri simili, scilicet qui ex anima et corpore *constat,* aspectus *διπρόσωπος saepe accipitur, neque tamen ideo * p. 35. fit ipse *homo* διφυής et διπρόσωπος, sed *est* ex duobus una natura et hypostasis et persona, sicut etiam *habetur* circa unum Salvatorem nostrum Christum.

Idem haurire est ex liberali sermone Cyrilli tanquam ex puro et potabili et iugiter manante fonte. Etenim in oratione ad Reginas, cuius initium est: « Iis, qui divinam et caelestem praedicationem administrant [2] », sic scripsit: CYRILLUS: « In ipso enim, ait *Paulus,* habitavit tota plenitudo divinitatis, non quidem per participationem potius, aut per habitudinem, aut veluti per gratiae largitionem, sed corporaliter, id est, substantialiter, sicut in homine dicitur spiritus eius habitare, cum alius non sit ab ipso. De una autem persona saepe διπρόσωπος orationis forma nobis inducitur, quin ullo modo laedat veritatem. Exempli gratia, quando dicitur de Deo a Scriptura inspirata: « Qui fingit spiritum hominis in ipso [3] »; atqui, quomodo non manifestum est omnibus non concipi posse spiritum in homine formatum alium esse ab ipso? Dixit etiam quodam loco beatus David: « Nocte meditatus sum cum corde meo, et scrutabar spiritum meum [4]. » Et quis erat, qui cum corde suo meditabatur et scrutabatur spiritum suum? Oportet itaque non verborum formas attentius scrutari, sed potius ipsas rerum naturas contemplari atque iis recte ductos nos ad ipsam veritatem contendere [5]. »

[1] IUD., 17-19; *P. Gr.*, LXXVI, 1168. — [2] *P. Gr.*, LXXVI, 1336. — [3] ZACH., XII, 1. — [4] *Psalm.*, LXXVI, 7. — [5] *P. Gr.*, LXXVI, 1364.

Itaque τὸ διφυὲς et διπρόσωπον in forma verborum et in specie et contemplatione et cognitione, hanc unam * naturam et hypostasim compositam, quae ex duobus *est*, non διφυᾶ neque διπρόσωπον efficit. Manet igitur, ex ipso rerum suffragio, ut ii, qui in duabus naturis individuis dicunt Christum subsistere ipsumque duplicitate post inexplicabilem unionem dissecant et illum διφυᾶ et διπρόσωπον dicunt, diphysitae et diprosopitae nominentur, sicut et illi, qui pestis Arii fautores fuerunt, dicentes Filium ἀνόμοιον esse Deo et Patri, optimo iure Anomaei dicti sunt: turpitudo enim malae sententiae fit nomen ita sentientibus, ut ipsa impietas pateat. Non ergo, ut stulte putasti, o Grammatice, cum sancto Cyrillo reponeris; appares enim, ut vides, a puris eius doctrinis alienus et extraneus. Et ridicula conscriptio libelli tui in immundis et haereticis scholiis tuis, quae velut circumcirca et quidem miserrime colliguntur apud eos, qui hac ipsa impietate ante te laborarunt, modo quidem manifeste apparet atque, ut quis dixerit, extra ipsas portas exteriores obviam procedit, modo vero vult latere et abscondi et sub mutuata pietatis persona intumescere, et sterilium cedrorum instar vane se extollit. Quivis enim unus ex iis, qui recta sapiunt, ubi illam adierit, reiciet eam, et transferet in eam haec verba Sophoniae prophetae, dicens: « Chamaeleones et erinacei habitabunt in domibus eius, et bestiae clamabunt in plateis eius et corvi in porticibus eius, quia sublimitas eius sicut cedrus[1]. »

(* p. 36.)

Sed vox iustitiae, quae recta et casta dogmata indicat, exinde non audietur. Distinctionem autem temporum, * *nempe temporis* ante inhumanationem et *temporis* factae inhumanationis, et substantialem differentiam divinitatis et humanitatis ex quibus una *constituitur* natura et hypostasis Verbi incarnata, et sermones Deo dignos et humanos, causam confingit[2] duplicitatis naturarum post ineffabilem unionem. At manifeste ostensum est, si quis in talem errorem deductus fuerit, fore ut διπρόσωπον dicat ipsum Christum propter duplicitatem contemplationis et sermonum. Etenim, in libro undecimo enarrationis explanatoriae evangelii Iohannis, sapiens Cyrillus sic scripsit: CYRILLUS: « Rursus autem salvat in contemplatione circa seipsum duplicitatem in comprehensione[3] propter oeconomiam cum carne[1]. » RURSUSQUE, POST ALIA: « Iterum revoca in memoriam ea, quae modo diximus, et loci propositi sensum optime intelliges. Duplicem enim propriae personae significationem nobis ubique servat, tum divinam in ipso relucentem dignitatem ostendens, tum convenientem humanitati modum non repudians propter oeconomiam[2]. » Manifeste autem ostensum est duplicitate, quae in contemplatione et specie sermonum *habetur*, non dissecari unum, qui ex duobus *est*, Christum, eundem Deum et hominem exsistentem, ante saecula quidem carnis expertem, in fine vero temporum propter oeconomiam erga nos corporalem, et divinitus humanitusque loquentem, et utroque genere sermonum cognitum, quin propterea διφυής et διπρόσωπος evadat. Clamat enim Doctor ad impios divisores indivisibilis et inexplicabilis incarnationis: CYRILLUS: « Noli enim mihi dividere, post inexplicabilem unionem, neque separare in hominem singillatim, et Deum, διπρόσωπον fingens Emmanuelem[3]. »

(* p. 37.)

CAPUT VICESIMUM QUINTUM

(* p. 38.)

De loco Thesauri, quem haeretici ex ignorantia adducunt, putantes sapientem Cyrillum auxiliari sibi *asserentibus* oportere dicatur: « Verbum Dei assumpsit hominem ». Longa enarratio de *formula*: « Verbum induit carnem », et de exemplo purpurae, et de templo. Quod voces, quae a doctoribus reiectae sunt, velut ad eiectionem maleficentiae haereticae, etsi alicubi ab iis ipsis, qui eas reiecerunt, dicuntur, non oportet dicere; et quod hoc non est contradictio apud doctores, sed prudens medicina.

Itaque Grammaticus iste indoctissimus et impiissimus, qui canis instar alienos vomitus absorbet et ad putredinem malae sententiae trahitur et currit velut ad paratum cibum, illumque hiante ore et, ut ita dicam, immasticatum deglutit, aculeis confutationum invitus transfigitur. Nam ex libro fautorum Nestorii, contra quem Philalethen scripsimus, iterum capitulum ducentesimum decimum quartum, seu potius partem huius *capituli*, in lamentabili suo libello misere et indocte exscripsit, ad me sermonem suum sic dirigens propterea quod dixi, post vaniloquia Nestorii sanctum Cyrillum prohibuisse quominus dice-

Footnotes p. 26: [1] SOPHON., II, 14. — [2] Supple: liber Grammatici. — [3] τὸ ἐν νοήσει διπλοῦν.

Footnotes p. 27: [1] *P. Gr.*, LXXIV, 520. — [2] *Ibid.*, 524. — [3] *P. Gr.*, LXXVI, 1168.

retur: « Hominem assumpsit Deus Verbum », — quod in modo consideratis perfectissime ostendimus: GRAMMATICUS: « Quid ergo novo isti interpreti accidit? Undenam sanctos Patres adeo impugnavit? Quis enim istius insaniis fidem tribuens non me- * p. 39. rito calumniabitur * Cyrillum, ut qui sibi contradicat? Etenim, in libro primo Thesauri, haec dicit: LOCUS CYRILLI, QUEM GRAMMATICUS ADDUXIT: « Eodem autem modo etiam de Christo. Etenim, erat quidem Verbum in principio, multo autem postea tempore factus est pro nobis pontifex, veluti poderem quemdam, id est, hominem ex Maria, *sive* templum assumens [1]. »

Non ergo a veritate *aberrantes* diximus optimum istum *Grammaticum* impiorum quidem esse adulatorem, alienorum autem, id est, excerptorum curam suscepisse, idque auditu: nam non in primo Thesauri libro, ut scripsit, haec inveniuntur, sed in secundo habentur, neque ita corrupta et mutila ut lectores ea intelligere nequeant, sed sicut a nobis infra apponuntur: CYRILLUS: « Quemadmodum enim Aaron non est natus pontifex, sed multis postea temporibus id factus est, poderem indutus et superhumerale et reliqua pontificalis habitus ornamenta, quae erant opera mulierum, eodem modo etiam quoad Christum *factum est*. Etenim, erat quidem Verbum in principio, multo autem postea tempore factus est pro nobis pontifex, veluti poderem quemdam hominem, qui ex Maria, id est, templum assumens [2]. »

Hoc ergo est caput; profertur autem a ducibus malae sententiae Nestorii, qui frustra rugiunt adversus veritatem et sibi videntur exinde demonstrare sanctum Cyrillum censere atque dicere instar vestimenti et indumenti Deo Verbo factam esse carnem anima rationali praeditam, non autem Ipsi hypos- * p. 40. tatice unitam esse sicut * anima hominis proprio corpori unitur per coniunctionem unionis naturalis, et sicut vult apostolica etiam doctrina, quae imaginem constitutionis nostrae in exemplum divinae unionis inhumanationis profert atque evolvit, dicens: « Quia ergo pueri communicaverunt sanguini et carni, et ipse similiter communicavit iisdem [3]. » At stultos istos fugit sapientem Doctorem explicare legalem typum, dico ponti-

[1] *P. Gr.*, LXXV, 361; locum Grammatici non repperi. — [2] *P. Gr.*, LXXV, 361. — [3] *Hebr.*, II, 14.

ficatus vestimentum, figuram esse veritatis, non autem ab illo vestimenti assumptionem proferri in exemplum inexplicabilis incarnationis. Ita etiam arcam tabernaculi testimonii praefiguravisse dixit ipsum Christum, quia ex lignis quidem imputribilibus struebatur, auro autem tegebatur interius et exterius, auro quidem typum gerente sublimis, gloriosae et praeclarae divinitatis, lignis autem imputribilibus assumptis in imaginem incorruptae atque purae humanitatis, quam ex intemerata Virgine sumpsit; non ideo tamen dicimus *Cyrillum* asserere ita factam esse ineffabilem Dei Verbi unionem ad carnem animatam quemadmodum corpora inter se uniuntur cum agglutinantur: haec enim typi sunt et umbrae, atque subobscuram quamdam indicationem eorum, quae praefigurantur, innuunt, sed ad veritatem non pertingunt.

Hac ergo de causa ad Acacium, episcopum scythopolitanum, commentarium de capro emissario faciens scripsit: CYRILLUS: « Umbram enim habet lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum, ut scriptum est [1]; attamen umbrae pariunt veritatem, nullo autem modo sunt ipsa veritas *. Quare divus quo- * p. 41. que Moyses velamen super faciem suam ponebat sicque loquebatur ad filios Israel et, ut ita dicam, hoc ipso facto clamabat venustatem praeceptorum per ipsum *traditorum* non in typis exterius apparentibus sed in contemplationibus interius latentibus cerni posse [2]. » ET POST ALIA RURSUS: « Sinamus ergo typos ea ratione, quae ipsis conveniat, intelligi; multum enim a veris rebus deficiunt et quandoque ex parte *tantum* demonstrationem rerum figuratarum efficiunt [3]. »

Manifeste ergo ostensum est et in dubium venire non potest Spiritu sapientem Doctorem explicare typum pontificalis habitus, non autem putavisse Deum Verbum per admotionem, velut per indutum vestimenti, carnem fecisse suam ita ut, sicut rex de purpura, doleret de carne opprobriis affecta aut quidquam ex flagellis patiente, aut versa vice *caro* placeret ei, ipseque eam eveheret ad honorem, quo ipse honoratur, non autem ut quae ipsi naturaliter uniatur et ipsius propria censeatur sicut etiam animae rationalis cuiusque nostrum proprium apparet et dicitur corpus: hoc enim nullo modo laedit impassibili-

[1] *Hebr.*, x, 1. — [2] *P. Gr.*, LXXVII, 208. — [3] *Ibid.*, 217.

tatem Verbi, ubi unus concipitur incarnatus, qui in carne sua dicitur passus, etsi omni dolore immunis secundum quod erat et est Deus.

Hac autem erronea sententia laborantem Diodorum, magistrum Nestorii, adducit *Cyrillus,* atque dicentem: DIODORUS: « Adoramus purpuram propter gestantem, templum propter inhabitantem, formam servi propter formam Dei, agnum propter pontificem, assumptum propter assumentem, plasmatum in sinu Virginis propter creatorem omnium *: Confitere res et defer unum honorem: innocua est una adoratio cum confessione rerum. Unam dicis adorationem, sed per unam adorationem inducis blasphemiam, eam *scilicet* quod, si una *sit* adoratio, etiam in una substantia *exsistit Christus* [1]. » Hanc autem impietatem, quam etiam Paulus samosatenus dolose machinabatur, sancta synodus, quae eius depositionem fecit, patefecit in epistula encyclica, quam ad omnes in orbe terrarum christianos scripsit, hoc modo: SANCTA SYNODUS QUAE FECIT DEPOSITIONEM PAULI SAMOSATENI: « Cur autem addit hoc: « velut in templo fuit sapientia in Iesu Christo », nisi quia hanc *sapientiam* continuit, non autem ei secundum substantiam unitus est, sed propter id, quod scriptum est ex persona Dei: « Ipsi erunt mihi templum et ego ero illis Deus [2] », ut sit quasi alius in alio, sicut etiam vestimentum involvit hominem, cum aliud sit, non autem idem ac homo neque pars eius: eodem modo et ipsum Verbum involvitur a Iesu Christo tanquam ab alio praeter ipsum Verbum, non autem tanquam unitis substantialiter Deo et corpore, utroque uno effecto [3]. »

Itaque, quomodo apostolicis Patribus adhaeserit sapiens Cyrillus, stulta illa reprehendens atque corrigens, discamus: CYRILLUS: « Agedum, nos quoque respondentes dicamus: Confitere aperte illud, quod ex Deo Patre, Verbum inhumanatum et incarnatum esse et noli illud dividere in duos filios, in purpuram dico et indutum, in templum et inhabitantem, in formam servi et formam Dei, in agnum et pontificem, in assumentem et assumptum, in plasmatum * in sinu Virginis et creatorem, et defer ei, tanquam uni, unam adorationem. Ubi enim ita senseris, nos quoque tecum pugnabimus adversus eos, qui contendunt in naturam Verbi carnem mutatam esse. Etenim, « vicissitudinis obumbrationem [1] » ferre illud, quod ex Deo, Verbum non patitur; sed neque carnem, relicto eo quod est, in naturam Verbi, cui unita est, mutatam esse, orthodoxum quemque dicturum esse puto. Cum ergo in rem et designationem unius Filii assumimus cum Deo Verbo corpus eius, secundum virtutem immutabilitatis et genuinae unionis, quomodo non apparet, secundum rei veritatem, valde dissimilis typus purpurae et templi? Nam purpureum vestimentum corpora regum ornat, exterius autem apparet et prorsus alienum ab eo, quod esse debet *homo* secundum rationem humanitatis: non enim propter purpuram homo *est*, qui ea induitur. Cum autem ipsum quoque unigenitum Dei Verbum carni propriae unitum esse intelligimus, non vestimenti instar sumenda est haec *caro,* neque ea ratione, qua externa indumenta, dicimus eam ipsi iniectam esse, ut alienam ab ipso, sed potius ad illustrationem et significationem *formulae* « caro », id est, homo, « factum est ». Evenit ergo Verbo naturalis affinitas ad corpus, quod ipsi unitum est et est ipsius, sicut et animae hominis *est corpus* ipsius, quamvis natura obtigerit ipsi ἀλλοφυής. Itaque non eo modo, quo purpura ornat eos, qui universis dominantur, ita intelligendum est carnem quoque Unigenito esse iniectam [2]. » Optime vero sapiens Doctor typum purpurae et templi recusavit atque reiecit, quod attinet * ad demonstrandam virtutem immutabilitatis et genuinae unionis: est enim prorsus dissimilis. Nec quisquam dicet purpuram aut purpuream vestem in unam hypostasim computari cum eo, qui illam induit, quia non est ipsi similis secundum naturam, neque naturaliter unitur ad ipsum, quemadmodum neque templum exstructum aut domum videmus inhabitanti *secundum naturam* uniri, sed affinitate habitudinis, quae ex voluntate et amore *oritur,* affinia sunt haec et necessaria. Quapropter nusquam gentium in suis scriptis apparet *Cyrillus,* in imaginem divinae

[1] Haec latine habentur apud E. SCHWARTZ, *Acta conciliorum oecumenicorum,* t. I, vol. V, pars prior, fasc. III, p. 179. — [2] Cfr IEREM., XXXIX, 38; interpres legit ναόν pro λαόν. — [3] Locum non repperi.

[1] Cfr IACOB., I, 17. — [2] Locum non repperi; pertinet ad opus sancti Cyrilli contre Diodorum, etsi hoc non expresse notatur a Severo.

incarnationis, typo usus sive purpurae, sive templi; ubique vero, iuxta narrationem apostolicam, in typum mysteriorum assumit concursum et naturalem unionem ex duobus, ex anima, dico, et corpore ipsius hominis nostri similis. Templum autem et purpuram vocat corpus anima et mente praeditum Verbi, ratione adorationis *ipsi deferendae* et ad demonstrandum illud *Verbum*, etiam incarnatum, esse omnipotens et regem et Deum, atque dominari in universam creaturam cum Patre et Spiritu. Ideo enim et ipse *Christus* templum vocavit corpus suum, cum turbam incredulam Iudaeorum ad hoc eveheret ut intelligerent ipsum esse Deum. Illud autem: « gessit », aut « induit », aut « sibi circumdedit carnem » vel « naturam humanam » vel « formam servi », multis in locis est invenire Doctorem eo sensu dicentem quo quis diceret hominem nostri similem indutum esse suo corpore, aut interiorem hominem exteriore homine vestiri, sicut Iob quidem dixit: « Pelle autem et carne vestisti me; ossibus autem et nervis compegisti me[1] », Paulus vero: « Licet is, qui foris est, noster homo corrumpatur, tamen is, qui intus est, renovatur de die in diem[2] ». * Sic etiam sanctus Athanasius, stella ecclesiae alexandrinae, hac voce usus videtur in iis, quibus tanquam columnam vitae philosophicae et monasticae conversationem magni Antonii descripsit. Narrando enim blandimenta Calumniatoris et strenuam athletae luctam haec ait, quorum in supra consideratis iam mentionem fecimus: ATHANASIUS: « Nam qui putaverat se similem Deo esse, ab adulescente deludebatur; et qui adversus carnem et sanguinem gloriabatur, ab homine carnem gestante devincebatur. Auxiliabatur enim ei Dominus, qui carnem propter nos gestavit et corpori victoriam contra diabolum dedit[3]. »

* p. 45.

Quemadmodum ergo dicentibus nobis hominem nostri similem gestare carnem, nemo, nisi insaniat, dividet gestantem et gestatum: ita Dei Verbum, cum appareat similiter proclamatum *ut* qui gestaverit carnem aut naturam humanam aut formam servi, nemo recte sapiens separabit dicetque se adorare gestatum propter gestantem et induentem. Unus enim ex duobus habetur Christus, unaque hypostasis atque natura, Verbi

[1] *Iob.*, XI, 11. — [2] II *Cor.*, IV, 16. — [3] *P. Gr.*, XXVI, 849.

nempe, incarnata, etsi carnem ut purpuram gestasse dicitur, ut agnoscatur, etiam postquam inhumanatum est, *Verbum* neque regiam dignitatem neque honoris cum Patre et sancto Spiritu aequalitatem amisisse. Est enim homo quoque universalis atque communis, ubi carnem gestans dicitur, una natura et hypostasis ex duobus, ex anima dico et corpore. Id etiam idem eximius Cyrillus, in libro tertio commentarii evangelii Iohannis, sic scripsit: CYRILLUS: « Rursus autem observandum est, Filium hominis * cum ait Deo digna *dona* esse divisurum, ipsumque ad imaginem Dei et Patris esse signatum, *Christum* non admittere divisionem, quae rescindat *a vera filiatione*[1] illud ex Virgine templum, sed unum rursus semetipsum statuere et intelligi velle. Etenim unus revera supra nos est Christus ceu regia purpura proprio vestimento indutus[2], scilicet humano corpore sive templo, illo nimirum ex anima et corpore, licet unus *habeatur* ex ambobus Christus[3]. »

* p. 46.

Videas quomodo, tum templum tum purpuram dicens corpus Dei Verbi *Cyrillus*, ideo *tamen* quia, vel homo factus, nihilominus ad imaginem Dei et Patris signabatur atque velut ex vivo sigillo in omnibus ostendebat τὸ ἀδιάφορον principalis similitudinis et cum potestate largiebatur Deo digna *dona*, notionem dissimilitudinis e nomine purpurae eiecit, sicque eam vocavit « proprium eius vestimentum », ut unum ex duobus Christum perficeret. At « non sic impii, non sic[4] »: incessabile enim bellum gerunt adversus *formulam* « ex duobus », et volunt carnem Deo Verbo extraneam esse et alienam ab eo sicut vestimentum, non autem ipsi uniri coniunctione unionis naturalis, sicut corpus uniuscuiusque nostrum, naturaliter unitum animae rationabili, unum ex duobus immutabiliter et indivisibiliter *exsistentem* hominem perficit. Rursus enim effert *Cyrillus* Diodorum impie scribentem haec: DIODORUS: « Atqui, quomodo unam adorationem defertis? Numquid sicut animae et corpori regum? Anima enim per se solam non regnat, neque corpus per se solum regnat: sed Deus Verbum ante carnem est rex.

[1] τῆς κατ' ἀλήθειαν υἱότητος. Haec verba, ab interprete omissa, supplenda sunt iuxta textum graecum. — [2] Graece: τὸ ἴδιον φόρημα περικείμενος. — [3] *P. Gr.*, LXXIII, 484. — [4] *Psalm.* I, 4.

Itaque, non sicut animae et corpori, ita Deo Verbo et carni[1]. »

* p. 47. * Ad haec rursus respondens dixit: CYRILLUS: « Multimoda ergo est adoratio, nec una iam a nobis defertur: hoc enim nobis dictat verbum tuum. Ubi autem diversitas adorationis et honoris iis, quae dicta sunt, rependitur et unicuique id, quod ipsi congruit, accurate tribuitur, ibi profecto et inaequalitas dignitatis sequitur. Atqui, inaequalitas et diversitas dignitatis, tanquam secundum minus et maius, in duas hypostases et personas cadit; fugit ergo unio, mysterii vero profunditas in nihilum occidit. Non enim deferenda est, ait, adoratio sicut animae et corpori regum. Attamen, quomodo praestantissimus typorum non erit *typus* iste? Quemadmodum enim ex anima et corpore unus *habetur* homo, quamvis proprietates utriusque multam inter se differentiam sortiantur, id est, quod ad essendi modum attinet, — anima enim diversa est a corpore, — ita etiam de omnium nostrum Salvatore Christo cogitandum est: est enim Deus Verbum caro factum, id est, in humana forma visum, ita ut idem agnoscatur et revera sit simul Deus et homo, unus solusque Filius in omnibus perfectus. Iste autem, nescio quomodo, vanis et puerilibus ratiocinationibus adversus veritatem disserere audens, ait: DIODORI *effatum*, QUOD ADDUCIT CYRILLUS: « Noli sicut animae et corpori regum, ait, deferre adorationem[2]. »

En universae turmae magistrorum atque sectatorum Nestorii usque ad synodum, quae in Chalcedone sedit, seu potius faecem quae *ibi* subsedit, studium erat radicitus evellendi confessionem unius Christi ex duabus naturis *constantis*, sicut homo nostri similis ex anima et corpore *constat*. Et ideo etiam appel-

* p. 48. lationem * templi itemque purpurae ad immundos sensus deducebant atque transferebant, dicentes Verbum Dei habitavisse *in Christo* sicut in templo praeparato et sicut in nobis *habitat* per gratiam et participationem sanctitatis; ita etiam ipsum coniunctum esse carni sicut et rex coniungitur purpurae, quam induit. Et eo modo dicebant: « Verbum Dei assumpsit hominem », quo scriptum est de Davide: « Et elegit David servum suum, et assumpsit eum de gregibus ovium[3] », quia per amorem et dilectionis relationem eum sibi adiunxit.

[1] PUSEY, t. III, p. 505 (syriace tantum). — [2] PUSEY, t. III, p. 506 (syriace tantum). — [3] *Psalm.* LXXVII, 70.

Ideo etiam illud ex Thesauro sancti Cyrilli capitulum excerpebant, in quo vestem pontificalem Aaronis et figurativum, qui exinde *habetur*, typum subobscure ad incarnationem Christi referens atque allegoricae typi similitudini inhaerens, dixit *Cyrillus* ad modum assumptionis alicuius tunicae *vel* poderis Verbum Dei assumpsisse hominem ex Maria, id est, templum, cum typi nequaquam constituantur ad veritatem laedendam. Quapropter nusquam in orationibus suis dixisse videtur: « assumpsit hominem », quamvis ab antiquioribus doctoribus haec formula dicta fuisset, cum a pollutis Diodori et Nestorii opinionibus procul absit, significetque Verbum Dei factum esse carnem, iuxta vocem divi Iohannis, id est, immutabilter et perfecte hominem, nihil ex nostra substantia et essentia dimittendo, sed in omnibus, excepto peccato, similitudinem nobiscum portando, non autem personam hominis et infantem prius in sinu Virginis plasmatum sibi affinitate uniendo. Ea, quae etiam in libro secundo Thesauri ante capitulum * habentur, resecuerunt isti * p. 49. calumniatores, et pulchrum corpus verborum Doctoris haereticis dentibus dilaceraverunt: adversus illos, iuxta mensuram virtutis mihi a Deo datae, Philalethen elaboravi. Atqui, quae resecta fuerunt, sunt haec: CYRILLUS: « Non naturam Verbi declarans Apostolus talia dixit, sed oeconomiam cum carne. Quando enim factus est pontifex confessionis nostrae? Quando autem apostolus? Quando fidelis ei, qui ipsum fecit? Nonne quando propter nos et pro nobis factus est homo et, iuxta Iohannis vocem, « Verbum caro factum est »? Tunc ei, qui ipsum fecit, ut homo etiam fidelis factus est, perficiens opus illius, ut ipse dixit. Tunc apostolus factus est, pro nobis et propter nos missus. Tunc factus est pontifex confessionis nostrae, offerens confessionem fidei nostrae Patri et corpus suum velut immaculatam hostiam adducens, ut omnes nos per ipsum mundaret[1]. »

Ea ergo, quae ante capitulum *reperiuntur*, ab istis immundis resecta sunt, quia impietati eorum adversantur et sacrorum verborum abscissionem tanquam abominandam caedem reprehendunt. Quae autem post capitulum resecta sunt, apponere prodest, ut perfecte innotescat abominanda scripti hypocrisis,

[1] *P. Gr.*, LXXV, 361.

itemque *appareat* quanta sit media pars et quod absolute sanas seiungit doctrinas ab adulteratis et peregrinis: CYRILLUS: «Ut proprio suo sanguine mundaret populum, seipsum obtulisse dicitur tanquam agnum immaculatum Deo: « neque enim peccatum fecit, neque inventus est dolus in ore eius [1] ». Iam vero si, iuxta Diodori et Nestorii ineptias, Unigenitus hominem assumpsisset et affinitate * [p. 50] illum sibi adiunxisset, ita ut assumptus propter assumentem adoraretur et honoraretur tanquam diversus ab illo, non diceret Doctor quod Verbum Dei, quod pontifex factum est, idem etiam semetipsum et agnum immaculatum Deo et Patri obtulit atque proprio suo sanguine populum mundavit.

Ecce haec sunt, quae os calumniatorum claudunt. Haec proferunt ii, qui in operibus sapientis Cyrilli exercitati sunt et propriis ipsius armis illum defendunt, et inclytum solummodo ostendunt armatum, nullam illi alienam defensionem offerentes, neque rursus, sicut indoctus et ineruditus Grammaticus, qui ne numerum quidem librorum novit, excerptum excerptorum misere colligentes et veluti comam Samsonis tondere conantes, ut illum invicta rectorum dogmatum virtute spoliatum exhibeant. Exsurgit enim, nullum alienigenis dolosum accessum concedens ut ipsum tondant et virtute, quae ipsi inest, exspolient. Et in libro Thesauri quidem legalem typum velut ex scenographia [2] desumit, scilicet *ex* stola pontificali, quae vestimentum carnis subobscure significat; dicit, quasi de assumptione et indutu vestis, ut typicae praefigurationi satis faciat, quod Verbum Dei, tanquam tunicam et poderem, templum, id est hominem, ex sancta Virgine Maria assumpsit. At vero in pugnis adversus Nestorium et patronos eius, etsi nequaquam eum fugiebant verba tum sua, tum ab antiquioribus doctoribus recte dicta, curam impendens in retundendos impetus impietatis adversus veritatem, scribebat, sicut iam antea posuimus: CYRILLUS: « Hominem autem assumptum esse a * [p. 51] Deo non placet sanctis Patribus; nunquam enim ita senserunt; sed ipsum potius ex Deo Verbum asserunt factum esse hominem, unitum carni animam intelligentem habenti [3]. »

[1] *P. Gr.*, LXXV, 361; I PETR., II, 22. — [2] σκιαγραφία. — [3] *P. Gr.*, LXXVI, 449.

Nos vero et omnes *viri* religiosi, post huiusmodi tutam et salutarem diligentiam Doctoris, a formula: « Verbum Dei assumpsit hominem » fugimus. Quia etiam ad Nestorium scribens, vigilantiae causa reprobando dicebat: CYRILLUS: « Imo nomen adhaesionis repudiamus ut impar ad unionem significandam [1] », omnibus viribus hanc reprobationem sectamur, et nomen adhaesionis apud nos in suspicionem cadit. Porro nemo nos vituperabit, sicut ignarus et rerum divinarum imperitus Grammaticus, dicens: GRAMMATICUS: « Calumniaris Cyrillum tanquam contraria loquentem [2]. » Etenim invenimus illum in opere, quod composuit, ad Hermiam de sancta Trinitate nomine adhaesionis usum sic: CYRILLUS: « Ceterum ante concursum ad carnem et adhaesionem secundum unionem Dominum fuisse Filium, nullo negotio videbimus [3] », nec quisquam dicet sanctum Cyrillum adhaesionem hic nominare sicut Nestorius *illam nominavit*: eandem enim tum concursum ad carnem, tum unionem vocavit. Nec quisquam etiam eorum, qui recte *fidem* confitentur, non intelligit mentem Doctoris sanamque verborum prolationem. Non ideo tamen illum sibimet repugnare dicimus, quando, ut portam et repagula impietati opponat, vocem a seipso bene adhibitam dicere vetat. Etenim ad medici atque doctoris diligentiam pertinet ut aegrotis interdicat iis, quae ingressum causis * [p. 52] efficientibus morborum parant. Quibus cum attenderem ego, haec ad Nephalium scripsi, quae a Grammatico stulte vituperata sunt: PATRIARCHAE *verba*, EX *orationibus* AD NEPHALIUM: « Non possunt voces aliorum Patrum, etiam si reperiantur, — tanquam coniectura rursus dico, — adversus sanctum Cyrillum proferri, qui contra morbum ingruentem remedium invenit; imo, plus dico: etiamsi ipsius Cyrilli sint voces sic antea dictae [4]. » Nam sanus quoque sensus eorum, qui has *voces* dixerunt, evidens est, itemque *istarum* vocum reiectio necessaria *est* et prudens, maximeque convenit dispensatoribus mysteriorum Dei.

Id et sanctus Iohannes, episcopus constantinopolitanus, in quinta oratione laudatoria in Paulum, sic scripsit: IOHANNES CONSTANTINOPOLITANUS: « Ita et Paulus, Dominum suum imi-

[1] *P. Gr.*, LXXVII, 112. — [2] Locum non repperi. — [3] *P. Gr.*, LXXV, 1032. — [4] Cfr *P. Gr.*, LXXXIX, 109 et 280.

tatus, non cognoscebatur nisi [1] modo quidem sicut iudaeus factus, modo autem absque lege. Nam nunc quidem legem custodiebat, nunc autem legem negligebat; et nunc quidem de praesenti vita sollicitus erat, nunc autem illam contemnebat; et nunc pecuniam postulabat, nunc autem etiam datam repudiabat; sacrificium offerebat et tondebatur, rursusque anathematizabat *ista* facientes; et nunc quidem circumcidebat, nunc autem circumcisionem excludebat. Et erant quidem ea, quae fiebant, inter se contraria, intentio autem atque sententia, ex qua illa fiebant, valde cohaerens erat et sibi concordans. Unum enim requirebat, *scilicet* salutem eorum, qui illa videbant et audiebant; propterea, modo quidem legem * servabat, modo autem illam destruebat. Non enim solum in iis, quae faciebat, verum etiam in iis, quae dicebat, varius ac multiplex erat, non versatilis sententia, neque alter ex altero factus, sed manens id, quod erat et ex dictis singula pro praesenti necessitate disponens. Noli ergo illum propter ista reprobare, sed propter ista potius laudare atque coronare. Siquidem et medicum cum videris, nunc quidem cauterizantem, nunc autem nutrientem, et nunc quidem etiam ferro, nunc autem medicamento utentem, et aliquando quidem aegrotanti interdicentem cibis et potibus, aliquando autem concedentem ut his plane satietur, itemque aliquando aegrotum undique cooperientem, aliquando vero iubentem ipsum calefactum calicem aqua frigida plenum bibere, non utique vituperabis variationes frequentemque mutationem, sed tunc praesertim laudabis artem quam cum fiducia praebentem ea, quae nobis inter se contraria et nociva videntur, et securitatem spondentem videbis: hoc enim vir peritus *facit*. Si igitur approbamus medicum contraria ista facientem, multo magis animam Pauli sic ad infirmos accedentem praedicare oportet. Non enim minus hi, qui in animabus, quam hi, qui in corporibus suis aegrotant, tractationibus et curis indigent: ad quos si directo accesseris, de salute eorum prorsus actum erit [2]. »

* p. 53.

At strenuus iste Grammaticus hanc disciplinam sollertem, salutarem et peritam, quae nunc quidem aegrotantibus parcit, nunc autem * opportune anxietatem protrahit, et utrimque ae-

* p. 54.

[1] Perperam intellexit aut legit interpres voces graecas: οὐκ ἂν κατεγνώσθη. — [2] *P. Gr.*, L, 498.

gritudinem ad sanitatem ducit, vocat mobilitatem et bellum intestinum et oppositionem doctorum non ad invicem tantum sed etiam ad seipsos, ut putavit a recto sensu lapsus et per omnia seipsum ostendens alienum a legibus sanctae Ecclesiae. Nam magnus quoque Basilius, fidelissimus apostolicae regulae character, qui qualis esse debeat episcopus describit, in epistula ad Amphilochium, id est, in diligenti opere elaborato circa theologiam de Spiritu sancto, quod iam magis proprie diceremus ab ipso Spiritu exaratum, in capitulo quinto docet Apostolum cautissime et accuratissime in epistula ad Galatas de generatione Dei et Salvatoris nostri Iesu Christi secundum carnem ex Virgine, scripsisse Eum factum esse « ex muliere », non autem « per mulierem », ut stultitiam rescinderet eorum, qui non ex eadem nostra substantia confitentur esse carnem Domini: et haec quidem, cum tamen de universali omnium hominum generatione scribendo ad Corinthios *Paulus* dicat hominem gigni « per mulierem ». Itaque, quoad nos quidem, idem est tum « ex muliere », tum « per mulierem », nec ulla est differentia; at vero, de Deo digna Emmanuelis generatione in carne, omnino necessaria est cauta haec formula « ex muliere », quae impietatem haeresium, id est, phantasmatis fabulam, constringat. Quae autem ab illo scripta sunt, ad verbum se habent sic: Basilius: « Sed tamen hic, * simul quidem differentiam usus ostendens, simul autem errorem nonnullorum obiter corrigens existimantium spirituale esse corpus Domini, ut ostenderet ex humana massa concretam fuisse deiferam carnem, significantiorem vocem praetulit; nam *formula* « per mulierem » significare debebat generationem ipsam ut transitum mente prehendi, *formula* vero « ex muliere » abunde declarat communionem naturae geniti ad genetricem [1]. »

* p. 55.

Hac secura diligentique prudentia usus et sanctae memoriae Cyrillus, episcopus hierosolymitanus, videtur, in duodecima catechesi sic *scribendo*: Cyrillus Hierosolymitanus: « Quia per virginem Hevam mors venerat, oportebat per virginem, seu potius ex virgine vitam apparere, ut quemadmodum illam serpens decepit, ita et hanc Gabriel evangelizaret [2]. »

[1] *P. Gr.*, XXXII, 85. — [2] *P. Gr.*, XXXIII, 741.

Quid ergo? Si huic venerandorum doctorum prudentiae adhaerentes dixerimus suspectam esse, quoad Emmanuelis generationem in carne, formulam « per mulierem », armabitur adversus nos aliquis ex iniquis phantasiastis, indoctae tuae stoliditatis arma, o Grammatice, sibi sumens, et velut eadem ex parte, sicut tu anthropolatriae fermenti iudaici, ita et ipse phantasiae manichaeae auxilium feret, et de me impie dicet ridicula ista, quae et tua *sunt*: GRAMMATICUS: « Quis istius insaniis fidem tribuens, non merito calumniabitur Basilium, ut qui sibi contradicat[1]? » Etenim in oratione, cui inscribitur: « Ad eos, qui calumniantur nos quod tres deos dicamus[2] », dixit * sic: BASILIUS: « Nam, « fundamentum aliud nemo potest ponere praeter hoc, quod positum est, quod est Iesus Christus[3] », qui genitus est per mulierem, ut genitos regeneraret[4]. » Cyrillus autem, sapiens Alexandrinorum civitatis pastor, in epistula ad monachos, cuius initium est: « Venerunt quidem nonnulli[5] », scripsit sic: CYRILLUS: « Quia, cum carnem assumpsit suamque effecit, vocatus est etiam Filius hominis et factus est nostri similis, absurdum nullo modo esse dicere, imo necessarium esse confiteri puto eum secundum carnem per mulierem esse genitum[6]. »

(* p. 56.)

At non sinemus illum per haec struere suam impietatem. Etenim evidens est sententia sanctorum. Nam non ut exhiberent Salvatoris nostri generationem *tanquam* transitum et phantasiam dixerunt: « per mulierem », sed irreprehensibiliter ita locuti sunt. Sapiens enim Cyrillus, postquam dixit eum genitum esse secundum carnem « per mulierem », addidit: « quemadmodum etiam anima hominis cum proprio corpore gignitur[7] »; porro evidens est nos vere et non secundum metaphoricam quamdam imaginationem etiam consubstantiales matribus nostris gigni. Divus autem Basilius in antecessum abstulerat atque evulserat omnem opinionem reprehensibilem, prius sic dicendo: BASILIUS: « Demisit se ad carnem, ut et caro in ipso simul erigeretur. Invisibilis in visibili, ut visibilia susciperet. Ut homo, sub tempus; ut Deus, ante tempora. Illud « ut » non secundum similitudinem, sed secundum veritatem. Deus erat; homo factus est secundum oeconomiam. Non prius τὸ « factus

[1] Locum non repperi. — [2] *P. Gr.*, XXXI, 1488. — [3] I *Cor.*, III, 11. — [4] *P. Gr.*, XXXI, 1496. — [5] *P. Gr.*, LXXVII, 9. — [6] *Ibid.*, 21. — [7] *Ibid.*

est » et postea τὸ « erat », sed prius τὸ « erat » et postea τὸ « factus est ». Ne ergo quod *est* propter * oeconomiam destruat divinitatem Unigeniti. Haec enim sunt effugia haereticorum et insania Manichaeorum[1]. »

(* p. 57.)

Itaque, sensu verborum orthodoxorum et apostolicorum doctorum tam clare elucente, retineamus hanc diligentem prudentiam firmiterque dicamus suspectum esse hoc, quod dicatur Salvatorem nostrum Christum secundum carnem « per mulierem », non autem potius « ex muliere » genitum esse, si *id* ab aliquo dicatur, etiamsi glorietur se e caelo venire. Hoc etiam Gregorius Theologus, in magna ad Cledonium epistula, illustravit, et huiusmodi vocem, cum prava sententia illi superstructa, reiecit, atheismi notam illi decernens, sic dicendo: GREGORIUS NAZIANZENUS: « Si quis tanquam per canalem dicat *Christum* per Virginem transiisse, non autem in ea formatum esse divino simul et humano modo: divino quidem, quia absque viro, humano autem, quia iuxta conceptus legem, item atheus est[2]. »

Illam autem insaniam procedere ab iis, qui *placita* sectantur impii Valentini, qui manifeste isti fictioni phantasiae adhaesit, Irenaeus, episcopus Lugduni, civitatis Celtarum, qui *sunt* in Occidente, in libro primo operis adversus haereses, cui titulum imposuit: « Reprehensio et eversio falso cognominatae agnitionis », his *verbis* significavit: IRENAEUS: « Sunt autem qui dicunt eum emisisse Christum Filium suum, sed psychicum, et per * eum locutum esse per prophetas: esse autem hunc, qui per Mariam transierit, quemadmodum aqua per canalem transit[3]. »

(* p. 58.)

Nemo igitur inepte verba colligat effataque expiscetur, quae bene quidem a Patribus dicta sunt, sed nullo tandem modo obesse possunt diligentibus reprobationibus, quas pronuntiaverunt *Patres*, volentes impetus haereticorum cohibere. Nam et « mixtionem » vocaverunt coniunctionem Dei Verbi cum carne, cum genuinitatem et indivisibilitatem unionis hypostaticae ostendere vellent: et tamen, propter eos, qui abominanter et impie substantiarum confusionem[4] mente tenent, nomen mixtionis

[1] *P. Gr.*, XXXI, 1493. — [2] *P. Gr.*, XXXVII, 177. — [3] *P. Gr.*, VII, 513. — [4] συνουσίωσις.

repudiamus, de gloria patrum nostrorum nihil prorsus detrahentes; dum enim dogmaticas eorum institutiones legimus, huiusmodi vigilantiam discimus. Ideo ego quoque, sententiae eorum adhaerens, post inconcussam sancti Cyrilli observationem, et dixi et dicere non desinam non oportere dicere: « Christus duplex *est* », neque: « Hominem assumpsit Verbum Dei », neque item illum nominare hominem deiferum, aut adhaesionem vocare unionem. Insuper et hoc consequenter dixi, eorum institutione ductus, *scilicet* tutius atque accuratius quam: « Verbum carnem gestavit », a nobis dici immutabiliter *Verbum* unitum esse hypostatice carni animam intelligentem habenti, quamvis Patres illud dixerint haud secus ac si quis diceret omnem hominem σαρκοφόρον, ceterum exinde nequaquam hunc unum *hominem* in duo dissecans. Cum autem Diodorus scripserit: DIODORUS: « Adoramus purpuram propter gestantem [1] », et Nestorius: « Propter gestantem gestatum veneror [2] », * suspicione non vacare dixi hanc *formulam*: « Verbum corpus gestavit », praesertim quando ab adversariis dicitur. At Grammaticus, perinde ac si non dixissem istas voces bene et convenienter a Patribus dictas esse, sursum deorsum, frustra ineruditionis circulum percurrens, ea quae omnes norunt atque confitentur adducit, seque Patrum defensorem *esse* simulat, cum *tamen* patrum suorum contemptor, imo et impietatis auctor sit; conatur autem viam dare blasphemiis Nestorii, quae frenum receperunt per cogitatas sapientis Cyrilli reprobationes, quas ii omnes, qui recte sentiunt, amplectuntur; iudaeorum et diphysitarum atque diprosopitarum *placita* pro nihilo putantes.

CAPUT VICESIMUM SEXTUM

Quisnam sit rectus sensus, in quo Patres deiferam vocaverunt carnem Christi, et quaenam impietas haereticorum, adversus quam exsurgens eximius Cyrillus prorsus reiecit τὸ dicere Christum « hominem deiferum », itemque τὸ dicere « hominem Christi »; et quod, post *hanc* reiectionem, scrutari non oportet num quidam eorum, qui in ecclesiis docuerunt, tale quid dixerint.

[1] Locum non repperi. — [2] *P. Gr.*, LXXVI, 104.

Aliud etiam sciendum est, *scilicet* sanctum Basilium eosque qui, sicut ipse, sanum rectae pietatis verbum irreprehensibiliter docuerunt, vocavisse carnem Unigeniti Verbi « deiferam », miraculum * sublime *hac* voce demonstrantes, *nempe* quod Illum, qui ab universa creatura condita non fertur, mirabiliter *caro* tulerit sibi hypostatice unitum, sicut corpus cuiuslibet hominis dicitur ferre animam rationalem, quae in ipso est, connaturale vehiculum ipsius factum, ut ait, in oratione « Attende tibi », BASILIUS: « Non conscendisti currum inauratum, sed pedes habes proprium vehiculum et tibi connaturale [1]. » Dicit enim in eadem oratione: « Nos quidem anima sumus et mens, quatenus ad imaginem Conditoris sumus facti; nostrum vero corpus est, et qui per ipsum sunt sensus [2]. » Magnus autem veritatis praeco et doctor Athanasius, in oratione catechetica de corporali manifestatione Domini et Salvatoris nostri Iesu Christi Filii Dei pro nobis hominis facti, item scripsit sic: ATHANASIUS: « Quonam autem alio tempore fuit religio in Aegypto, nisi cum Dominus omnium, velut in nube vectus, corpore descendit illuc, et idolorum quidem errorem evertit, omnes autem in seipsum et per seipsum ad Patrem admovit? Hic est vita omnium [3]. » Sancta autem synodus, quae fecit depositionem Pauli samosateni, in epistula encyclica, quam paulo supra commemoravimus [4], id ipsum dicit sic: SYNODUS QUAE DEPOSUIT PAULUM SAMOSATENUM: « Adoratus est, muneraque accepit a magis ab ipsa nativitate: principaliter ut Deus, secunda autem ratione etiam corpus humanum quod fert Deum [5]. »

Eximius autem Cyrillus, in oratione « Quod unus est Christus » dixit mirabile prodigium *esse*, quomodo is, qui a nullo fertur, factus sit humanitati * gestabilis, id est, carni anima rationali praeditae, quam sibi univit coniunctione unionis naturalis; et dicit illud nobis mystice praefiguratum esse in rubo, qui ardebat sed flamma omnia devorante non comburebatur. Scripsit autem sic: CYRILLUS: « Atque hoc nobis mystice praesignificavit, Moysen initians et modum inhumanationis veluti in typis adhuc describens. Descendit enim in specie ignis in

[1] *P. Gr.*, XXXI, 212. — [2] *Ibid.*, 204. — [3] *P. Gr.*, XXV, 161. — [4] Cfr supra, p. 30. — [5] Locum non repperi.

rubum in deserto; et emicabat quidem in humilis staturae planta, neque tamen adurebatur. Miratus est autem Moyses visionem. At quomodo non alienum sit lignum ab igne? Quomodo autem sustinuerit impetus flammae materia quae facile succendi potest? Sed erat, ut dixi, haec res mysterii typus, quod ostendebat tolerabilem fore humanis mensuris divinam Verbi naturam, ipso volente. Nihil enim prorsus ipsi est impossibile [1]. »

Ideo ergo deifera est caro, quia illi tolerabile factum est Verbum, quod est super omnia, et sic illi hypostatice unitum; mansit autem caro id, quod erat, eiusque naturam non mutavit *Verbum*; est autem absque divisione ad illam *coniunctum*, ita ut ex duobus unus mirabiliter absolvatur Christus. Et ipsa *caro* Illud in se fert et operatur ea, quae naturae Verbi sunt: mortuos vivificat, accedentes ad se sanat, quemadmodum et rubus iste, qui ardebat quin conversione desineret esse lignum, indivisibiliter se habebat ad flammam, quae eum occupaverat totaque totum invaserat, atque ea, quae ignis propria sunt, comburendo atque refulgendo operabatur. Idque rursus * sapiens Cyrillus in scholio de carbone scripsit sic: CYRILLUS: « Quemadmodum enim ignis ligno affixus ipsum quidem comprehendit, quin illud demoveat ab eo, quod sit lignum, imo illud transmutat in speciem et vim ignis et omnia sibi propria in illo operatur, iamque tanquam unum aliquod cum illo aestimatur: sic et de Christo intellige. Cum enim Deus ineffabiliter unitus est humanitati, dicimus quod illam quidem servavit id, quod erat, sed et ipse mansit id, quod erat; semel tamen unitus, tanquam unus cum illa aestimatur, ea quae sunt illius sua faciens, immittens autem et ipse in illam propriae suae naturae efficientiam [2]. »

Illud ipsum scripsit etiam in libro quarto commentarii evangelii Iohannis: CYRILLUS: « Hanc enim ob causam etiam cum mortuos suscitaret, non verbo tantum aut praeceptis Deo convenientibus Salvator noster egisse reperitur, sed cooperatricem ad hoc potissimum curavisse ut assumeret suam sanctam carnem, ut appareret *caro* potens ad vivificandum, iamque tanquam unum quid cum ipso facta: ipsius enim proprium re

[1] *P. Gr.*, LXXV, 1293. — [2] *P. Gr.* LXXV, 1380.

vera, non autem alius cuiusdam erat corpus. Nam cum puellam, archisynagogi filiam, suscitavit, dicens: « Puella, surge [1] », apprehendit manum eius, ut scriptum est, vivificans quidem ut Deus omnipotenti iussu, vivificans autem rursus et tactu carnis suae, unamque eiusdem generis efficientiam utroque ostendens [2]. » Similiter et in libro quinto commentarii evangelii Matthaei: CYRILLUS: « Sanavit enim ut Deus, tactum manus suae aegrotanti largiens. Et quam ob causam? Ut cum propria natura, divinitatis *naturam* dico, paris * virtutis ostenderet *esse* corpus suum proprium quantum attinet ad efficientiam in aegrotantibus: est enim corpus non cuiuslibet hominis, sed ipsius Verbi cuncta potentis prospere operari [3]. ».

In hoc ergo sensu magnus Basilius carnem illam anima et mente praeditam, quae unita est hypostatice Deo Verbo, « deiferam » vocabat; at, abominanda nestorianorum turma, dividens Emmanuelem in Deum seorsum et hominem singillatim *constitutum*, « deiferum » profert illum *hominem* ad modum prophetae communionem divinae gratiae et revelationem accipientem, et ideo « hominem deiferum » et visum et dictum. Sic effert Diodorum scribentem sanctus Cyrillus: DIODORUS: « Prophetam suscitabit vobis Dominus Deus de fratribus vestris sicut me [4]. Numquid aliquid deerat Moysi prophetae? Nonne homo perfectus erat? Igitur neque huic homini nazaraeno deerat *quidquam*, τῷ ex semine David, sed Deus perfectus ex Deo perfecto assumpsit hominem perfectum [5]. » RURSUSQUE: « Neque enim statim ut plasmatus et genitus est, divinitas in eum infudit totam sapientiam suam, sed paulatim *eam* corpori largiebatur [6]. » Ad quem haec et *alia* huiusmodi mendacia cum blasphemia proferentem, alicubi mediis in reprehensionibus dixit iustus impietatis increpator: CYRILLUS: « Deprehensus est non iam Deus exsistens, sed potius homo deifer et aequalis mensurae ac ceteri, in quibus videtur Deus habitare [7]. »

* Theodorum quoque, Mopsuestiae antistitem, iam adduxi, in

[1] LUC., VIII, 54. — [2] *P. Gr.*, LXXIII, 577. — [3] *P. Gr.*, LXXII, 389. — [4] *Deuter.*, XVIII, 15. — [5] PUSEY, t. III, p. 506 (syriace tantum). — [6] *Ibid.*, p. 507 (syriace tantum); cfr E. SCHWARTZ, *o. c.*, t. I, vol. V, pars prior, fasc. III, p. 178 (latine tantum). — [7] PUSEY, *ibid.* (item).

libro septimo operis ad Patrophilum de Spiritu sancto, de « Christo in carne », ut dicere solebat, haec scribentem: THEODORUS: « Sed et futurorum, pro ratione utilitatis, cognitionem accipiebat a Spiritu sancto [1]. » Quibus consentiens impius Theodoretus, in reprehensione quarti capituli dixit: THEODORETUS: « Non igitur Dei Verbi est ignorantia, sed formae servi, quae tanta per illud tempus sciebat, quanta divinitas inhabitans revelabat [2]. » Ad quem dirigens correctionem Spiritu sapiens Cyrillus scripsit: CYRILLUS: « Qui autem revelationem asserit datam esse formae servi ab inhabitante Deo, eamque mensuratam, prophetam nobis exhibet Emmanuelem et hominem deiferum, atque aliud nihil [3]. » Sic et impius Nestorius, in homilia, cuius initium *est*: « Doctrina pietatis scopus *est* eorum, qui accedunt ad ecclesiam [4] », dicebat: NESTORIUS: « Dominicam itaque inhumanationem intremiscamus; Dei susceptricem formam cum Deo ut divinam habeamus, tanquam splendorem divinitatis, tanquam inseparabile simulacrum divinae voluntatis, tanquam imaginem absconditi iudicis. Confiteamur duplicem et adoremus tanquam unum. Audi, audi Paulum utrumque clamantem: et quod ad aeternitatem divinitatis Unigeniti *refertur*, et humanitatis novitatem, unamque ex adhaesione factam dignitatem. Iesus * Christus, ait, heri et hodie, idem et in saecula [5]. »

* p. 65.

Iam vero intelligendum est ex istis *verbis*, quae clare ostendunt eum unionem secundum voluntatem confiteri, eum dixisse « Dei susceptricem formam, inseparabile simulacrum divinae voluntatis » sicut scriptum est ex persona Dei de propheta David: « Inveni David, filium Iesse, virum secundum cor meum, qui faciet omnes voluntates meas [6]. » Addidit autem iniquus iste cum « voluntate » etiam « dignitatem adhaesionis », ut perfecte manifestaret quaenam sit haec forma Dei susceptrix, quae secundum relationem ex voluntate et secundum affinitatem exinde *ortam* et secundum amorem assumpta est. *Addidit* quoque « hominem deiferum », ut duplex procla-

[1] SACHAU, *Theodor. Mops. fragm. syr.*, p. 60, 98. — [2] *P. Gr.*, LXXVI, 412. — [3] *Ibid.*, 416. — [4] Cfr LOOFS, p. 250. In textu syriaco, initium homiliae hic mendose allegatur, recte vero, ut vertimus, infra p. 94, l. 5-6. — [5] *Hebr.*, XIII, 8; LOOFS, p. 263. — [6] *Act.*, XIII, 22.

metur et dolose tanquam unus adoretur *Christus*. Propter haec hisque similia, ut antea dixi, Cyrillus, agricola evangelice laborans, ut dixit Apostolus [1], resecans spinas sententiarum haereticarum nullumque illis *haereticis* dans iter, in octavo capitulo universe reprobavit Christum dici hominem deiferum et pro nihilo duxit aliquem ex antiquis tali voce forsan alicubi usum videri. Sciebat enim, perspicue sciebat sanctorum quidem mentem ab haeretica cogitatione multum distare, sibi autem astutos eorum impetus cohibendos esse reprobatione earum *vocum*, quae impiis causas praebebant ad aliquid machinandum adversus veritatem vocum et ad insaniam suam constituendam.

Nam et Eustathium, carissimae Deo memoriae episcopum antiochenum, invenimus, in opere quod adversus Arianos de fide scripsit, hac ipsa voce * utentem sic: EUSTATHIUS: « His consonantia enarrans Paulus, ipsum quidem hominem deiferum vocat sapientiam; bene autem dicit eum ante saeculum praedestinatum fuisse [2]. » Idem autem, in eodem opere, saepenumero videtur scripsisse « hominem Christi », cum pugnaret adversus infandos Arianos, qui volebant demissa et humilia oeconomiae atque ea, quae Deo Verbo postquam inhumanatus est evenerunt et aptata sunt, pure ad eius divinitatem tempori subductam, carnis expertem atque saeculis antiquiorem referre. Porro ea, quae ab illo scripta sunt, se habent sic: EUSTATHIUS: « Cum ergo dicit: « Dominus creavit me initium viarum suarum in opera sua [3] », manifestis argumentis demonstrat principium immutabile bonorum nobis factum esse hominem Christi cum ad vias caelestes apte nos disposuit [4]. » RURSUSQUE: « Quid autem stupendum aut mirandum dicimus? Praecognitus quidem est homo Christi Deo, in profundo autem divinae mentis fixe ordinatur [5]. » ET ITERUM: « Si autem sapientia propter nos praedestinata est [6], ergo hic quoque hominem Christi vocat sapientiam, consonantia prioribus statuens [7]. » Sapiens autem Cyrillus, sectioni nestorianae oppo-

* p. 66.

[1] Cfr II Tim., II, 16. — [2] Locum non repperi. — [3] *Prov.*, VIII, 22. — [4] PITRA, *Analecta sacra*, t. IV, p. 213 (syriace tantum); CAVALLERA, *S. Eust. homil. in Lazar.*, p. 77. — [5] PITRA, *loc. cit.* (item). — [6] Cfr I *Cor.*, II, 7. — [7] PITRA, *loc. cit.* (item).

nens indissecabilem inhumanationem, in libro sexto commentarii evangelii Iohannis scripsit sic: « Indoctum ergo et prorsus impium est nonnullos inconsiderate dicere: « Homo Christi ». Deus enim cum esset, factus est homo, et indivisus, in quantum Deus est et Filius, etiam cum carne: perfecta enim in his *habetur* fidei in illum confessio atque cognitio [1]. »

*p. 67. * Hoc autem nemo, qui sapiat, repugnantiam *esse* dicet Patrum et doctorum *inter se*. Una enim est doctrina pietatis, quia unus quoque est Spiritus doctorum, qui variis temporibus per illos locutus est. In una etiam eademque veritatis intentione, secundum haereses adversus Ecclesiam exsurgentes, diligentissimas cautiones adhibuerunt et praesidia morbis congrua et aptata, quae ii quoque, qui prioribus temporibus praefuerunt spiritualibus gregibus adhibuissent, si vixissent temporibus sapientis Cyrilli et arma sumpsissent adversus anthropolatriam nestorianam dolose et impudenter agentem atque novas machinantem inventiones.

CAPUT VICESIMUM SEPTIMUM

Quod sanctum Cyrillum secutus, totidem verbis recte dixi id venia dignum, *scilicet* quod Patres, adversus Arianos pugnantes, uno alterove verbo crassius alicubi de divina inhumanatione locuti sint. Ampla hac de re deiferorum mystagogorum institutio, quae vanitatem, inscientiam et summam fraudulentiam reprehensionis a stulto Grammatico *prolatae* redarguit.

Reliquum est iam ut aliud quid etiam proponamus, quod item demonstrat indoctam audaciam Grammatici ineruditi omnique impietate pleni. Cum enim stultus Nephalius et sodales eius, defensores synodi chalcedonensis, dicerent hanc synodum pugnando adversus phantasiam Eutychetis crassis verbis usam esse, ipsam instantiam apposui, in iis quae ad illum scripsi, sic: PATRIARCHAE, EX *scripto* AD * NEPHALIUM: « Quodnam ergo est castum eorum verbum ad illos? IPSIUS *patriarchae*, TANQUAM EX PERSONA HAERETICORUM: « Cum sententiam phantasiae Eutychetis, aiunt, vellent radicitus evellere, nullo autem modo oppositae parti studerent, *ita locuti sunt*: hic enim mos

*p. 68.

[1] *P. Gr.*, LXXIII, 1012.

est eorum, qui adversus haereses pugnant. » IPSIUS *patriarchae* ADVERSUS HAERETICOS: « Sed dicam ad illos: O boni, hoc convenienter dicit quis: cum exoritur aliqua quaestio, is qui contra hanc quaestionem pugnat, ex altera parte non observat sermonem *suum* de quacumque re circa quam hoc tempore nulla prorsus quaestio habetur [1]. » Postquam usque ad haec iste ea, quae a me scripta sunt, *in suo* tractatu posuit, videtur insulse prorsus et inconsiderate scripsisse haec: GRAMMATICUS: « Quis ista protulit? His undenam auditis pugnas? Cur autem, o homo, talia fingis, miscens cum mendacio partem veritatis? Sententiam quidem Eutychetis, eamque solam, expulisti ex ecclesia cum invitus secundum veritatem locutus es [2]. » Videtis stultitia istius insipientis et indocti quanta et qualis sit. Quod enim ab adversariis dicitur, *scilicet* quod phantasiam Eutychetis synodus chalcedonensis aboleverit, meam esse confessionem putat et decernit; et haec quidem, cum ipse manifeste scripserim de adversariis: « Quodnam ergo est castum eorum verbum? », et tanquam ex persona eorum frigidam istam defensionem posuerim: « Cum sententiam phantasiae Eutychetis, aiunt, vellent radicitus evellere, nullo autem modo oppositae parti studerent, *ita locuti sunt*: hic enim mos est eorum, qui adversus haereses pugnant [3]. »

* At valde laboriosum est singula verba amentiae Grammatici considerare, quia potest vel unum tantum, dum reprehenditur, infinitam verborum copiam ex *factis* reprehensionibus inducere. Quod et praetermittens, quia extra modum *esset* [4], sequentia eorum, quae ad Nephalium scripsi, eatenus apponam qua iis manifeste apparet synodum chalcedonensem ita dixisse se pugnare adversus pestem Eutychetis, sicut aliquis diceret etiam Paulum samosatenum pugnare adversus errorem Marcionis, itemque *pugnare* adversus impios Synousiastas Diodorum et Theodorum, infandos divisores immutabilis et indivisibilis incarnationis. Porro sequentia se habent sic: IPSIUS PATRIARCHAE, EX IIS, QUAE AD NEPHALIUM: « Exempli gratia, Patribus adversus immunditiam Arii pugnantibus recte venia conceditur, quod saepe crassius locuti sint de incarnatione

*p. 69.

[1] Locum non repperi. — [2] Item. — [3] Locum non repperi, ut supra, n. 1. — [4] διὰ τὸ ἄμετρον.

Domini, quia de illa tunc nulla prorsus quaestio movebatur. Crassius autem *eos locutos esse* dico quoad unam alteramve vocem; non quod omnibus *suis verbis* deciderit aliquis *Pater* in reprobum sensum[1], sicut Diodori et Theodori asseclae fecerunt, sed quia, exorta hoc ipso tempore disputatione, verbi gratia Arii atque Sabellii, voces Patrum reperire est velut in aequilibri trutina *consistentes*. Nunquam *Patres* in alterutram partem inclinabantur, sed ab omni deflexione cavebant et tanquam regia via incedebant. Et videas quid Gregorius Theologus, in prima ex orationibus de divinitate * habitis, dicat: Gregorii Nazianzeni *locus*, quem adduxit patriarcha in *scripto* ad Nephalium: « Adoramus Patrem et Filium et Spiritum sanctum, proprietates quidem separantes, divinitatem vero unientes; neque in unum tria contrahimus, ne morbo Sabellii laboremus, neque in tria extranea et diversa dividimus, ne Arii insaniam insaniamus. Quid enim necesse est ut, velut plantam in alteram partem propendentem et undique inclinatam per vim ad alteram partem inflectentes, distorsione quadam distorsionem corrigamus, non autem *eam* ad medium dirigentes intra pietatis fines consistamus[2]? » Sic proinde oportebat et epistula Leonis, utraque inquisitione exorta et invalescente atque circa eandem rem, Domini incarnationem dico, claudicante, per inclinationem ad unam non videretur quidem alteram impietatis partem sanare sed decidendo in primam, neque tota sermonis dispositione duarum naturarum cantilenam foveret. Etenim Diodorum quoque causam praetendentem, dicendo se pugnare adversus Synousiastas, — id est, *adversus* eos, qui carnem Domini miscebant *cum divinitate* et stulte dicebant eam in substantiam Dei conversam esse, — et delapsum ad oppositam *sententiam*, scilicet ad id, ut diceret unum Christum *esse* duos Filios, increpat sapiens Cyrillus, dicendo: Cyrillus: « Itaque Paulum quoque samosatenum corona dignum aestimemus, qui accuratius quam tu adversus Synousiastas pugnavit, quia magis quam tu mysterium oeconomiae dissecat[3]. » * p. 70.

[1] Cfr fortasse *Rom.*, I, 28: εἰς ἀδόκιμον νοῦν. — [2] *P. Gr.*, XXXV, 1072. — [3] Locum Cyrilli videas apud Pusey, t. III, p. 508 (syriace tantum). De loco scripti Patriarchae ad Nephalium cfr *P. Gr.*, LXXXIX, 112.

Numquid ergo ad me, qui haec hisque clariora scripsi ad reprehensionem zeli quo zelati sunt ii, qui in Chalcedone congregati sunt, ut morbum in morbum * mutarent, non autem ut phantasiam Eutychetis, quatenus vana ineptaque mente et sacrilego pede incessit, sanarent, non putas te insanivisse haec rursus dicendo: Grammaticus: « Sententiam quidem Eutychetis, eamque solam, expulisti ex ecclesia, cum invitus secundum veritatem locutus es[1]? » Si enim is, qui impium redarguit eiusque instantias apponit ut vanas illas esse demonstret, censeatur cum illo impietatem confiteri, iam nunc tibi pronuntiandum est eum quoque, qui increpat, laudatorem esse eorum, qui increpantur. Quomodo autem etiam cetera cum ipsa sacrilega sententia abscondisti, ut putareris speciose[2] increpationem inconsideratam inferre? Cum enim dixissem ego veniam recte dandam esse Patribus si, adversus haereses Arii forte pugnantes, crassius alicubi locuti sint circa inhumanationem Domini, et prudenter haec addidissem atque significavissem: « Crassius autem *eos locutos esse* dico quoad unam alteramve vocem; non quod *omnibus suis verbis* deciderit aliquis *Pater* in reprobum sensum, sicut Diodori et Theodori asseclae fecerunt[3] », haec *a me* scripta reticuisti, et increpas me, ut qui scripto universalem legem constituerim concedentem iis, qui adversus haereses pugnant, ut frena remittant et ad oppositum se convertant. Et quis non valde irrideret blasphematricem istam calumniam, quae scripta reticuit et non scripta, imo nullo modo dicta, vanarum accusationum materiam efficit? * p. 71.

Proferam autem sanctum Cyrillum ea quoque, quae dixi, ipsis verbis decernentem; qui ad * Diodorum et Theodorum, in oratione adversus Synousiastas, sic scripsit: Cyrillus: « Ad haec autem aliquis forsan dicet: Quid igitur, si cum pugnarent adversus nonnullos ex haereticis aut adversus sic dictos Synousiastas exsurgerent, crassiorem quam fieri oportuisset sermonem fecerint? Responderi posse censeo: Si in una voce *tantum* adsit defectus, auditores *id* condonare a recto non procul erit: quod enim paululum aliquando, et quidem inviti, erraverint ii, qui * p. 72.

[1] Locum non repperi, ut supra p. 49. — [2] εὐπροσώπως. — [3] Locum non repperi, ut supra p. 50.

ad contemplationum subtilitatem et diligentiam accesserunt, iustam habent defensionis causam. At vero si in operibus tam amplis, et in omnibus, ut ita dicam, suis scriptis contra veritatem laxatis habenis processerunt, duos filios ubique confitentes, quaenam causa idonea erit illis[1]? »

Sed et Basilius, rerum divinarum peritissimus, cum ad Neocaesarienses secundam epistulam scriberet, de Gregorio apostolorum aemulatore et thaumaturgo haec dixit: BASILIUS: « Direxit autem aliquod tentamen per epistolam etiam ad unanimem nostrum Anthimum, episcopum tyanensem, quasi Gregorius dixerit, in expositione fidei, Patrem et Filium secundum cogitationem quidem esse duo, secundum hypostasim autem unum. Hoc autem non docendo dixit, sed decertando, in dialogo cum Æliano: quod intelligere non potuerunt, qui seipsos ob ingenii subtilitatem beatos praedicant. In hoc *dialogo* multi sunt exscriptorum errores, ut ipsis verbis, si Deus volet, ostendemus. Deinde vero, * gentilem erudiens, non putavit diligentiam adhibendam esse circa ipsa verba, sed alicubi indoli illius, qui introducebatur, indulsit, ne *ille* iis, quae praecipua sunt, resisteret. Quapropter et multas illic invenies voces, quae nunc robur maximum haereticis praebent, ut *vox* « creatura » et « factura », et si quid aliud eiusmodi[2]. »

* p. 73.

Haec ergo cum scripserit prudens Doctor, vis*ne* illum frigidis tuis increpationibus subicere, o inanis, atque dicere ineptias tuas et quae peperit insania tua: GRAMMATICUS: « Quis non claudet aures suas, talem legis constitutionem audiens? Nam si quis fidem istis verbis adhibeat, cum sese Manichaeis implicat et creaturam vocat Filium, recte hoc facit et omnem vituperationem effugit; rursusque, adversus Arium pugnans, *si* phantasmaticam dicat carnem Dei Verbi, inter orthodoxos reponendus est, cum patronum habeat patrem huiusmodi verborum, ea legis instar scribere non horrentem[3]. »

Decet ergo nos ad te, qui loquaciter garrulas, aptatis verbis dicere: Subsiste, o tu! Noli orare ut occludatur auditus tuus! Occlusus enim est sermonibus rectis, neque tandem tibi oratione opus est! Quodsi etiam verborum auditionem susceperit, sen-

[1] PUSEY, t. III, p. 490 (syriace tantum). — [2] *P. Gr.*, XXXII, 776. — [3] Locum non repperi.

sum dictorum lapideae menti tuae non tradet! Undenam enim potest aliquis ex verbis Doctoris haereses exstruere ubi, conantibus Arianis mendaciter asserere Gregorium Thaumaturgum ita in expositione fidei scripsisse, *Basilius* calumniam eorum retudit et dixit *Gregorium* veluti cum pagano dialogum instituisse, indoli viri * indulsisse et a diligenti observatione verborum, quae ad doctrinam spectant, congrue abstinuisse, quia non id sibi proponebat, sed volebat istum *paganum verbis* facile intelligibilibus et valde simplicibus ipsique solitis, non autem accuratissimis et emendatissimis, placidum reddere et admovere ineruditum eius auditum, qui posset, post assensum *datum*, et simul confiteri hypostasim Patris et Filii, et accuratiora in secundo dialogo discere, et agnoscere Patri consubstantialem esse Filium. Eructa igitur etiam in Doctorem *Basilium* ista faetida ac tua, et dic: GRAMMATICUS: « Eximia tua erga Patres benignitas, quae non zelata est ut et illos anathematizares, sed veniam illis dedit quod crassius essent locuti[1]! » Quae cum inculpandi quidem libidine, sed et dementer, a te dicta et scripta sint, *id* tantum tibi efficiunt, ut sibilent te et, sicut circa dramata profana *fit*, — ut etiam *verbum* quoddam ex tuis adhibeam, — cum ignominia exeas atque non indoctus tantum, verum etiam immundus videaris. Manetem autem, — siquidem de eo quoque meministi, — ad ipsam paganorum insaniam devenisse, utraque *insania* in idem diversorium decidente, *scilicet* in superstitionem polytheismi, nemo inter eos, qui dogmatum scientiam callent, in dubium vocat.

* p. 74.

Quapropter sapiens quoque Cyrillus, in libro octavo commentarii evangelii Iohannis, scripsit sic: CYRILLUS: «Igitur figura et umbra, et fictio atque phantasia potius quam firma veritas erat tam venerandum tantumque mysterium christianorum? Neque decidit * quidem unquam Manes, amicus paganismi simulque miser, in atheismum? Nos autem erramus, qui opposita placitis istius mente tenemus? At non ita, absit! Relegentur autem aliquo in montem procul, aut *proiciantur* in fluctus iuxta quosdam[2]! Non enim frustra credimus eum factum esse hominem,

* p. 75.

[1] Locum non repperi. — [2] Notatur in margine: « iuxta quosdam, iuxta Homerum ».

id est, secundum nos, qui in omnibus similis est nobis solo peccato excepto[1]. »

Hoc quidem loco magnus Basilius Gregorii Thaumaturgi simulque veritatis causam tuitus est[2]. Scribendo autem ad Maximum philosophum de Dionysio, — qui fuit episcopus alexandrinus, et scripsit quidem adversus confusionem sabellianam, nimius autem modum excessit et nimio plures causas arianae separationi praebuit, — non tolerat imprudentiam insipientiamque ipsius libelli; — utique non favendo haeresibus *Dionysius* illum *libellum* elaboraverat, sed utendo voce in unam partem inclinata[3] adversus alteram partem impietatis, oppositionem et repugnatiam ad priorem non servavit. — Dicit autem sic: BASILIUS: « Causa autem, opinor, non sententiae pravitas, sed vehemens studium Sabellio adversandi. Soleo ergo comparare talem *virum* cultori arboris, detorsionem recentis plantae erigenti, immoderatione vero detorsionis a medio aberranti et ad contrariam partem plantam abducenti. Tale aliquid et huic viro accidisse comperimus. Cum enim Lybici impietatem vehementius aggrederetur, non animadvertit seipsum in oppositum malum nimia profusione delabi[4]. »

[*p. 76.] Sic isti sanctae Ecclesiae doctores definitionibus * quibusdam atque mensuris certis sciebant quorumnam patrocinium esset suscipiendum, et quosnam et pro modo rerum et pro quantitate dictorum venia dignos haberent, quosnam autem reprehendere et criminationi culpae subicere deberent. Quorum *effatis* ego quoque consonantia *verba* proferens, dixi eos, qui Arii immunditiam impugnabant, iusta venia dignos esse, si uno alterove verbo crassius locuti sint de incarnatione Domini: quae *verba mea* Grammaticus sacrilege furatus est. Sic etiam sancta synodus, quae Pauli samosateni depositionem fecit, de eo quod consubstantialis Deo et Patri sit Unigenitus Verbum crassius locuta est, ita ut iniqui Ariani hanc quoque impietatis suae defensionem proferrent, dicentes synodum CCCXVIII Patrum contrariam esse illi synodo. De qua *synodo* magnus Athanasius,

[1] Locum non repperi. — [2] Ut videtur: Γρηγόριον ... συναπελογήσατο τῇ ἀληθείᾳ. — [3] Graece forsan: τὸ ἑτεροκλινὲς τοῦ λόγου. — [4] *P. Gr.*, XXXII, 269.

in ea ad Alexandrinos epistula, cuius initium est: « Pervenit quidem forsitan et ad vos fama[1] », dixit veniam esse iis, qui Pauli samosateni causa congregati sunt, quod accuratam notionem vocis ὁμοούσιον non investigaverint, quia exsurgebant adversus illam praesentis impietatis partem, quae ipsos perturbabat, et *ad* hoc ut ostenderent Dei Verbum, quod initio caret, incarnatum et inhumanatum esse et formam servi assumpsisse, non autem recens apparuisse neque a Maria initium habuisse. Quae autem scripta sunt *ab Athanasio,* hoc modo se habent: ATHANASIUS: « Etenim omnis synodus iustam causam habet propter quam hi quidem sic, illi autem sic locuti sunt. Nam quia Samosatenus sentiebat non exstitisse Filium * ante Mariam, sed ab illa sumpsisse exsistendi initium, ideo ii, qui tunc congregati sunt, illum quidem deposuerunt et haereticum declaraverunt; de divinitate autem Filii simplicius scripserunt, neque accuratam *vocis* ὁμοούσιον notionem investigaverunt, sed ut conceperant de consubstantiali locuti sunt. Tota enim eorum cura in eo posita erat ut ea, quae Samosatenus commentus fuerat, everterent et ante omnia Filium esse demonstrarent, eumque nequaquam ex homine Deum factum esse, sed cum Deus esset, formam servi induisse et, cum Verbum esset, carnem factum esse, sicut dixit Iohannes[2]. » [*p. 77.]

CAPUT VICESIMUM OCTAVUM

Quod attenta praevalente haeresi, quae singulis temporibus adversus Ecclesiam in singulis terrae locis excitabatur, inquisitio ceterarum haeresium aut distinctio orthodoxiae dicuntur *tunc* prorsus non agitatae, idque cum *tamen* olim agitatae sint. Sic Gregorius de synodo trecentorum decem et octo *Patrum* adversus Arium congregata dixit, quaestionem de sancto Spiritu tunc non esse motam. Eodem modo dixi et ego tunc motam non esse quaestionem de incarnatione Verbi, ita ut istius indocti reprehensio circa hanc *assertionem* frigida appareat.

At sane, dicit Grammaticus; haec ita se habeant! Cur *tamen* dixisti, vigente luctatione Arianorum, cui Patres repugnabant, nullam tunc habitam esse quaestionem de incarnatione Domini? Etenim, tempore etiam Pauli * samosateni et Artemae, seu Ar- [*p. 78.]

[1] *P. Gr.*, XXVI, 681. — [2] *Ibid.*, 773.

temonis, qui ante *Paulum* eadem ac iste impia protulit, et his antiquiorum, praesertimque Ebionitarum iudaeorum et praevaricationis Berylli arabis, rursusque postea *tempore* Photini, id est Scotini [1], et Apollinarii, qui doctrinam « amentiae [2] » excogitavit, id quod in quaestione versabatur erat incarnatio Domini. Quid ergo adversus hanc reprehensionem indocti dicemus? Attenta praevalente disputatione Arianorum nos hoc dixisse *respondebimus*, et quia ingens fuit, simulque ecclesiis se superfudit, et adversus illam tota fiebat pugna, de incarnatione autem hoc tempore disputatio universalis non erat. Attento autem eo, quod praevalet, ut dixi, talia diudicari, et de divinitate Unigeniti Verbi plurimam factam esse pugnam doctorum orthodoxorum adversus sectatores placitorum Arii, asserentes Filium esse Patri dissimilem [3], ipsae res indicant; — Anomaei enim per homonymiam blasphemiae suae vocati sunt, ex magnitudine impietatis suae nomen consecuti; — quia evidens est eos etiam in incarnationem peccavisse, carni animae experti Verbum unitum esse delirantes, ut ad divinitatem Unigeniti pavorem et tristitiam et angorem et omnes animae rationalis passiones impie [4] referrent.

Ac nec illam impietatis partem illi Patres incorrectam dimiserunt, verum ex maxima ista blasphemia insania Arii notitiam consecuta est. Cur * ergo quasi novum quid faciens, strenuus Grammaticus ex scriptis Gregorii Theologi ad Cledonium nobis locum adducit, ut ostendat temporibus Arii quaestionem motam esse de incarnatione Domini? Omnes enim scimus Gregorium omnia, quae ad Cledonium scripsit, scripsisse postquam orta erat novitas [5] Apollinarii et adversus stultitiam eius, itemque adversus iudaicum dogma et errorem sectatorum Diodori de Emmanuele: quod etiam in una ex suis de pace orationibus, vocavit « fraternum dissidium », quod « nuper exortum » dicit, ut in iis quoque, quae antea a nobis considerata sunt, scripsimus [6]. Novitatem autem Apollinarii sub fine iam

* p. 79.

[1] Nota est litterarum mutatio, qua Φωτεινός, id est, lucidus, mox Σκοτεινός, id est, tenebricosus, ab adversarius vocatus est. Cfr, v. g., *P. Gr.*, XXVI, 752. — [2] τῆς ἀνοίας. Sic dicitur doctrina Apollinarii, quae humanitati Christi τὸν νοῦν denegat. — [3] ἀνόμοιος. — [4] ἀθέως. — [5] καινοτομία — [6] *P. Gr.*, XXXV, 1145; cfr supra, t. I, p. 98.

rabiei Arii et pugnarum adversus illum apparuisse, cum iam Pneumatomachi discessissent plurimamque pugnam in eos quoque *orthodoxi* convertissent, manifestum erat divina dogmata callentibus, fugit vero istum amentem, qui adversus se adduxit Gregorii Theologi verba, quae sic se habent: GREGORIUS NAZIANZENUS: « Quia vero etiam de divina inhumanatione, id est, incarnatione, quaestio quaedam movetur, hoc quoque circa nos omnibus definias, nos Filium Dei, qui ex Patre *primum* et postea ex sancta Virgine Maria natus est, in unum iungere, nec duos filios nominare, sed unum eundemque in indivisibili divinitate et honore adoratum [1]. »

Quid ergo? Quia Doctor dixit motam esse quaestionem quamdam de divina inhumanatione, quasi recens mota *quaestione*, quae iam prius et diverse mota fuerat, de filiorum dualitate, quam adversus * Apollinarii stultitiam Diodori sectatores, mala aemulatione contendentes, statuerant, *numquid* reprehensionem illi inferemus dicemusque stulti instar Grammatici: « Cur dicis modo motam esse quaestionem de dualitate filiorum, quae iam prius agitata fuit et redarguta temporibus Ebionitarum et insaniae Berylli eorumque, qui iudaicum istum errorem sequentibus temporibus receperunt? » At nemo in huiusmodi insaniam incurrit; omnes enim norunt haeresim anthropolatricam a Simone mago initium duxisse et exinde principium abominandi seminis nactam esse, quemadmodum etiam Theodosius Deo carissimus imperator in scriptis religiosis [2] errorem nestorianum vocavit haeresim Simonianorum [3]. Et cum sub quacunque persona eorum, qui interdum *eo* laboraverunt, idem *error* esset, post mutationem quamdam valde parvam tanquam nova quaedam *haeresis* apparuit; et cum sub una persona defecisset, alio tempore velut ex abysso quadam erumpens iterum emersit et alterum seductorem atque ministrum constituit; rursusque cum ipso demersus, elapso haud paucorum annorum spatio, iterum velut ex cavernis Scheol ascendit, et sicut mendaces daemonum visiones varie conformatur et ope cuiusdam accessionis aut imminu-

* p. 80.

[1] *P. Gr.*, XXXVII, 196; ultimam tamen huius loci vocem interpres legit non προσκυνοῦμεν sed προσκυνούμενον. — [2] Forsan: ἐν σακραῖς vel: ἐν θείοις γράμμασι — [3] Cfr MANSI, t. V, col. 413.

tionis machinatur, ut aliud quid *esse* censeatur. Etenim inter Ebionitas et Artemonem, inter Paulum samosatenum et Photinum, inter Diodori Nestoriique sectatores et istos, nonnullae reperiebantur differentiae, neque quoad omnia illis consentire visi sunt, quamvis in uno anthropolatriae rete constricti sint. Nec quisquam orthodoxiae doctores redarguet propterea quod, *p. 81. adversus haereses * pugnantes, novam et recens exortam hanc quaestionem vocaverunt, utpote quae variis temporibus soluta fuerat et per mutationes diverse apparuerat.

Sic quoque sapiens Cyrillus, in tomo secundo adversus blasphemias Nestorii, impietatem istius, — quam per derivationem[1] « pietatem » nominavit, — novam vocavit, utpote quae adversus antiquam et apostolicam fidem recens inventa et comparata fuisset. Scripsit autem sic: CYRILLUS: « At vero hic noster inventor novae pietatis, quamvis unum Christum se dicere simulet, dividit quidem ubique naturas et unamquamque singulariter ponit, eas non vere inter se unitas esse asserens; praetexens autem praetextus in peccatis[2], sicut scriptum est, excogitat modum quemdam adhaesionis, secundum aequalitatem dignitatis tantum, ut dixi, sicut etiam ex verbis eius ostendetur; et inhabitare quidem facit per participationem, ut in puro homine, ipsum ex Deo Verbum, dividit vero evangelicas voces, ita ut modo nonnullas ex illis Verbo soli *et* proprie *considerato* tribuat, modo autem singillatim ei, qui *est* ex muliere[3]. »

Athanasius autem, vir ille apostolicus, in oratione adversus librum quem Arius Thaliam vocavit et adversus immundam illius haeresim, scripsit haec: ATHANASIUS: « Qui autem haereticos sequuntur, licet innumeros successores habeant, utique eius, qui haeresim invenit, nomen gerunt. Sic mortuo Ario *p. 82. multisque *placitorum* eius haeredibus factis[4], ii tamen, * qui placitis eius adhaerent, ex Ario noti Ariani vocantur[5]. » ET PAULO POST: « Quomodo ergo christiani, qui non sunt christiani sed Ariomanitae? Aut quomodo ad catholicam Ecclesiam pertinent, qui apostolicam fidem excusserunt et novorum malorum

[1] δι' εὐφημίαν. — [2] *Psalm.* CXL, 4. — [3] *P. Gr.*, LXXVI, 60. — [4] Videtur interpres legisse: πολλῶν τε τῶν [ἰδίων ?] αὐτοῦ διαδεξαμένων. — [5] *P. Gr.*, XXVI, 17.

inventores facti sunt[1]? » Ipseque verax Doctor, qui haec dixit et novae haeresis inventorem vocavit Arium, ita ut hoc ipsum nomen sit impietati, infra *in oratione* lamentabilem *Arium* semen aliarum haeresium furatum esse dicit, scribendo haec: ATHANASIUS: « Mirificus Arius, nihil honestum imitatus, imo ea, quae studiosos decent, ignorans, pleraque ex aliis haeresibus furatus, solius Sotadis scurrilem dicacitatem aemulatus est[2]. »

Sic omnis disceptatio haereticae quaestionis nova dicitur et incipiens, et hoc quidem etiamsi causas habeat *haec haeresis* ex haeresibus antiquioribus iam antea iactatis. Gregorius autem Theologus, in minori ad Cledonium epistula, cuius Grammaticus mentionem fecit, haec dixit: « Nos fidei nicaenae, *fidei nempe* sanctorum Patrum, qui illic ad eradicationem haeresis Arianorum congregati sunt, nec quidquam praetulimus unquam nec praeferre possumus; verum huius fidei sumus et, Dei munere, erimus, illud explicantes quod minus plene ab illis dictum est de Spiritu sancto, — propterea quod non * agitata *p. 83. fuit tunc haec quaestio, — *nempe* unam divinitatem agnoscendam esse Patrem et Filium et Spiritum sanctum, Spiritum quoque Deum agnoscendo[3]. »

Placet igitur eximium istum *Grammaticum* insuper interrogare, cur dixerit ille vir theologus tempore trecentorum decem et octo sanctorum Patrum non agitatam fuisse quaestionem de Spiritu sancto, quamvis Arius et sectatores eius cum una eademque dementia blasphemarent adversus Filium et adversus Spiritum sanctum, imo multo magis demissa et impia de Spiritu sancto quam de Filio dicerent. Porro neminem praeterit, quia vehementior esset quaestio de Filio, quasi praetermissam habitam esse quaestionem de Spiritu sancto, ita ut etiam putaretur non agitata: ideo dixit Doctor: GREGORIUS NAZIANZENUS: « illud explicantes, quod minus plene ab illis dictum est de Spiritu

[1] *P. Gr.*, XXVI, 20. — [2] *Ibid.* Hic, in ipso textu inserta est, minio scripta, haec nota: « Sotades quidam fuit, qui suavia carmina condidit; quem aemulatus Arius librum Deo infensum, quem Thaliam vocavit, iisdem versibus conscripsit, machinatus ut suavitate *versuum* ad impietatis sententiam auditores abriperet. » Cfr *P. Gr.*, XXVI, 16. — [3] *P. Gr.*, XXXVII, 193.

sancto, propterea quod non agitata fuit tunc haec quaestio[1]. » Hoc igitur modo et ego dixi tempore commotionis Arianorum nullam fuisse quaestionem de incarnatione Domini, propter vehementiam pugnarum de substantia divina, circa quas universa sanctarum ecclesiarum disputatio tunc invalescebat. Si quis autem, ignorantia mirifici Grammatici laborans, me reprehendat quia dixi hoc tempore nullam fuisse quaestionem de incarnatione Salvatoris, reprehendat simul et aggrediatur Gregorium Theologum, qui simpliciter scripsit nullam tunc agitatam esse quaestionem de Spiritu sancto: etenim, agitatam esse quaestionem pariter de Filio et de Spiritu sancto iam ante trecentos *decem et octo *Patres nicaenos* significavit Athanasius, in epistula ad aliquem, qui ipsum interrogaverat, quaenam essent causae et quaenam virtus eorum, quae definita sunt in fide Nicaeae *exposita,* quam inscripsit sic: « Quod nicaena synodus, cum perspexisset Eusebianorum malignitatem, congruenter et recte ediderit adversus haereses Arianorum ea, quae in ipsa definita sunt[2] », — cuius initium est: « Recte fecisti, qui mihi significaveris disputationem te institutam adversus eos, qui Arii *doctrinas* profitentur[3] ». Ostendit enim Dionysium, Romae quondam episcopum, *nempe* quo tempore eiusdem nominis Dionysius episcopus praesidebat magnae orthodoxa fide civitati Alexandriae, cum Sabellii pestis tunc agitari incepisset et scriptis argumentum suppeditasset, sic scripsisse: DIONYSIUS: « Deinde merito dicerem etiam adversus eos, qui augustissimam Ecclesiae Dei praedicationem destruunt, et dividunt atque scindunt monarchiam in tres quasdam virtutes ac separatas hypostases tresque divinitates. Audivi enim quosdam esse ex iis, qui apud vos divinum verbum tradunt et docent, huius opinionis interpretes, qui quidem ex diametro, ut ita dicam, Sabellii sententiae adversantur. Hic enim blasphemat, Filium dicens esse Patrem et vicissim; illi autem tres deos quodammodo praedicant, in tres hypostases invicem alienas et penitus distantes sanctam monadem dividentes. Necesse est enim universorum Deo divinum Verbum uniri; sit autem in Deo et *ei* uniatur Spiritus sanctus oportet; iamque divinam Trinita-

[1] *P. Gr.*, XXXVII, 193. — [2] *P. Gr.*, XXV, 415. — [3] *Ibid.*, 416.

tem in unum, velut in verticem quemdam universorum, * omnipotentem Deum dico, recapitulari et colligi prorsus necessarium est[1]. »

Evidens igitur ex his quoque factum est etiam ante trecentos decem et octo sanctos Patres eandem quaestionem agitatam esse tum de Filio, tum de Spiritu sancto; nec quisquam inculpat Gregorium Theologum quod dixerit non agitatam esse, tempore trecentorum decem et octo *Patrum,* quaestionem de Spiritu sancto, propter vehementiam quaestionis quae exorta erat de divinitate Unigeniti et in se trahebat totam pugnae intentionem, ita ut de Spiritu nulla censeretur *quaestio* agitari, neque rursus de divina incarnatione Verbi. Quapropter et ego dixi in commotione Arianorum nullam fuisse quaestionem de inhumanatione, cum generalem speciem dissidii ecclesiarum secundum id, quod praecipue[2] *agitabatur,* respicerem. Sin aliter, quis nescit proprie etiam de incarnatione Unigeniti apud quosdam ortas et agitatas esse cum propositiones tum quaestiones, sicut manifeste significant ea quoque, quae ad Epictetum scripsit apostolicus vir Athanasius. At perspicacis seu, ut aperte dicam, nullius ingenii Grammaticus, nihil horum cognoscens, divinorumque dogmatum gustatu prorsus carens, satis esse duxit si solummodo disputaret. Ultroneus impietatis patronus apparuit et laudabiliter dictorum accusator. Putat quidem se mihi crimina inferre, sed non animadvertit se adversus sanctos Patres et antiquos Ecclesiae doctores pugnare.

CAPUT VICESIMUM NONUM

Quod, iuxta traditionem Nestorii et doctorum eiusdem impietatis, in definitione eorum, qui in Chalcedone congregati sunt, post nomenclationem sanctae Trinitatis, connumerata est inhumanatio Domini. Rursusque, confutatio eorum, qui asserunt Christum a seipsis non, ut a Nestorio, in duabus naturis dici, sed in duabus substantiis. Et de colloquio quod cum Occidentalibus habui. Et quod non possunt ii, qui

[1] *P. Gr.*, XXV, 461. — [2] Haud certissima translatio vocabulorum; conicerem interpretem graece legisse: κατὰ τὸ ἐπικρατέστερον, aut aliquid huiusmodi.

recusarunt confiteri Christum ex duabus naturis et maluerunt *illum* in duabus *naturis dicere,* sive hypostaticam unionem nominare, sive confiteri unum ex Trinitate eum esse, qui pro nobis carne crucifixus est.

Quale autem sit et aliud ipsius *Grammatici* assertum, quod fere decidit et indiscussum mansit, inquirere operae pretium est. Cum enim ii, qui in Chalcedone congregati sunt, definitionem infidelitatis, — non enim fidei *definitio est,* — praeter sanctos canones edere vellent, praemiserunt definitionem trecentorum decem et octo, itemque centum quinquaginta sanctorum Patrum, ut censerentur nihil novum inducere, sicque sua *verba* introduxerunt. Post enumerationem sanctae Trinitatis, inhumanationem Domini veluti quartam aliam personam impie numerarunt. Scripserunt sic: Ex DEFINITIONE SYNODI CHALCEDONENSIS: « Sufficeret quidem ad plenam cognitionem et confirmationem pietatis sapiens et salutare divinae gratiae symbolum: de Patre enim et Filio et Spiritu sancto id, quod perfectum est, docet, atque *de* inhumanatione Domini[1]. Illi *autem* qui adversus sanctum Cyrillum composuerunt istum librum excerptorum, — contra quem Philalethen scripsi, — in quo patrocinium suscipiunt * dictorum ab iis, qui in Chalcedone praeter legem definitionem ediderunt, e libro septimo enarrationis de adoratione in spiritu a sancto Cyrillo compositae excerpentes, in capitulo ducentesimo tricesimo quarto posuerunt haec: CYRILLI *locus,* QUEM ADDUCUNT HAERETICI: « Lacum in his *videtur* nobis lex appellare divinae Scripturae intelligentiam et sermonem de sancta et consubstantiali Trinitate, atque cognitionem mysterii Christi: haec enim tanquam in profundo posita sunt, vimque vitalem in se habent[2]. »

* p. 87.

Fugit autem istos, qui nihil quidem sane intelligunt, omnia autem congruenter ad impietatem suam dici imaginantur, — eorum instar, qui pecuniae amore laborantes, aurum omni occasione in somnio suo vident atque, ut ita dicam, aureum somnum dormiunt, — sapientem Doctorem hoc loco eandem rem apte variis verbis nominasse: idem enim sunt intelligentia divinae Scripturae, sermo de sancta Trinitate et cognito myste-

[1] MANSI, t. VII, col. 112. — [2] *P. Gr.*, LXVIII, 529.

rii Christi. Etenim plenitudo intelligentiae Scripturae inspiratae est cognitio sanctae et consubstantialis Trinitatis, quantum possunt homines *eam* assequi; ipsumque Christi mysterium nihil aliud est nisi quod credamus in Patrem et Filium et Spiritum sanctum, in quos credentes baptizati sumus. Hoc enim est iustitiae mysterium a saeculis et generationibus absconditum[1], nam trinitas est Trinitas, etsi unus ex Trinitate, id est Unigenitum Verbum, immutabiliter incarnatum et inhumanatum est. Non ergo idem valet si dicamus « mysterium Christi » atque si dicamus « inhumanationem Domini »: nam mysterium quidem * Christi totam fidei rationem complectitur; inhumanatio vero Domini proprie rationem oeconomiae in carne Unigeniti definite significat, quae pars est totius fidei mysterii, in quod credidimus.

* p. 88.

Et verus quidem prorsusque genuinus sensus dictorum Doctoris huc spectat. Si quis autem dixerit per sermonem quidem de sancta et consubstantiali Trinitate significari sermonem de divinitate seu substantia, per mysterium autem Christi *sermonem* de adventu eius in carne seu inhumanatione eius, neque sic alium Christum sanctae Trinitati adnumerari intelligat. Idem enim Doctor, in hoc quoque opere de adoratione in Spiritu, sicut et in aliis operibus, ex duabus naturis Emmanuelem *esse* confitetur: quae *formula* indicat hypostaticam unionem, cuius terminus est confiteri unam esse naturam Dei Verbi incarnatam. Scripsit enim in libro quarto haec: CYRILLUS: « Compositum autem etiam thymiama est; composita enim ex duobus cognitio de Christo, siquidem simul Deus et homo est; unus tamen ex utroque Filius et Christus, ad quem alicubi dictum est, et quidem a nobis ipsis: « Unguentum exinanitum nomen tuum[2]. » Rursusque, in libro nono, sic: « Lapis enim electus, angularis, pretiosus est Christus, peccatis invulneratus, qui diaboli plagas tolerare nescit, non divisus Deo et mundo, etsi caro factus est, sed totus sanctus, non divisus in Deum separatim * et hominem seorsum post ineffabilem unionem seu coniunctionem cum carne, sed unus idemque exsistens Deus et homo: neque enim ullo modo divisus est[3], sicut et sapiens Paulus scripsit[4]. » RURSUSQUE,

* p. 89.

[1] Cfr *Coloss.*, I, 26. — [2] *P. Gr.*, LXVIII, 345; *Cantic.*, I, 2. — [3] Cfr I *Cor.*, I, 13. — [4] *P. Gr.*, LXVIII, 593.

POST ALIA: « Nam cum Deus esset Verbum, caro factum est. Et compositus est sicut nos Emmanuel, ex divina et humana natura, quae in unitatem superantem omnem intellectum ineffabiliter congregatae sunt[1]. » His congruunt etiam ea, quae saepe quidem apposita sunt, scripta sunt autem in prima epistula ad Succensum: CYRILLUS: « Cum ergo id intelligimus, nihil laedimus concursum in unitatem, quam ex duabus naturis dicimus esse factam; sed post unionem naturas a se non dividimus, neque in duos filios secamus illum unum et indivisibilem, sed unum Filium dicimus et, ut Patres dixerunt, unam naturam Verbi incarnatam[2]. »

Si igitur synodus chalcedonensis ex duabus naturis confessa esset Christum et per hoc ostendisset seipsam assentiri unioni hypostaticae, ex qua habetur unam esse naturam Verbi incarnatam, intelligeremus ab omni mala suspicione abesse id, quod dixerunt: « De Patre enim et Filio et Spiritu sancto id, quod perfectum est, docet[3], atque de inhumanatione Domini fideliter accipientibus ostendit[4]. » At quia *formulam* quidem: « ex duabus naturis » dicere recusavit, eius autem loco introduxit *formulam*: « confitendum est in duabus naturis Christum agnosci », et Tomum Leonis ad explicationem et illustrationem suorum, ut ait, orthodoxorum dogmatum recepit columnamque orthodoxiae illum vocavit personae unitatem pro unione hypostatica manifeste introducentem, * dicendo: LEO: « Propter hanc ergo unitatem personae in utraque natura intelligendam[5] », quam etiam mendacii expertem vocavit, quia hominem magnitudine dignitatis divinae non consumpsit, dicendo: LEO: « Et nullum est in hac unitate mendacium, dum invicem sunt utraque, et humilitas hominis et magnitudo divinitatis. Sicut enim Deus miserando mutationem non subit, ita homo magnitudine divinae dignitatis non consumitur[6] », — *ideo* prorsus necesse est secundum vaniloquium Nestorii, hac mirifica fidei definitione, quae innovata est, post sanctam Trinitatem inhumanationem Domini quartam introduci. Quem *Nestorium* effert sanctus Cyrillus, in libro quinto adversus blasphemias eius, interrogando dicentem

* p. 90.

[1] *P. Gr.*, LXVIII, 621. — [2] *P. Gr.*, LXXVII, 232. — [3] Symbolum nicaeno-constantinopolitanum. — [4] MANSI, t. VII, col. 112. — [5] *P. Lat.*, LIV, 771. — [6] *Ibid.*, 767.

sic: NESTORIUS: « Quid ergo sub mutuata ecclesiastica persona dicis, haeretice? Estne Dominus etiam homo, annon? Si quidem Dominus, communicant inter se quae dicuntur; si vero non Dominus, noli tu, cum purum hominem Christum ipse facias, mihi probrum impertire[1]. » Ad ea igitur dicit etiam: CYRILLUS: « Si ergo, iuxta stultam tuam sciscitationem, Dominus quidem est Verbum seorsum, Dominus autem et homo: duo procul dubio domini et filii[2]. » In secundo autem tomo illum impugnat et dicit haec: « At si veluti participatione divinae excellentiae fortasse dignitatem gessit? Duo rursus procul dubio filii, siquidem verum est aliud quid esse et secundum naturam inferius quoad illud, quod participationem ipsi ingerit, id quod relatione ad illud honoratur. Deprehenderis igitur ne ea quidem sciens, quae dicis[3]. »

* Attamen, qui sic redarguitur quod Trinitatem, quod ad ipsum attinet, quaternitatem efficiat per duos filios et per unionem illam, quae secundum dignitatem concipitur, negat a se dici duos dominos et filios et christos, scribitque haec, quae in antea consideratis iam apposuimus: NESTORIUS: « Neque enim novimus duos christos aut filios aut unigenitos aut dominos, neque alterum atque alterum filium, neque priorem et recentiorem unigenitum, neque secundum et primum christum, sed unum eundemque in increata et creata natura contemplatum[4]. » Quaenam igitur est causa duos dominos censendi *esse* unum Dominum in increata et creata natura contemplatum, dico duas naturas confitendi unum *esse* Filium et Dominum et Christum? Nam iste iniquus, in homilia, cui inscriptum est: « Ego a meipso non sum locutus, sed Pater, qui misit me, ipse dedit mihi mandatum quid dicam et quid loquar[5] », scripsit haec: NESTORIUS: « Non igitur nunc *licet* dicere Deum Verbum Filium seorsum absque humanitate; imo, non nunc *tantum*, sed ab initio annuntiationis per angelum factae non licet Filium vocare Deum Verbum separatim *sumptum*, neque rursus humanitatem separatim *sumptam*: hoc enim nihil aliud esset, nisi duos quosdam filios statuere; commune autem utrique naturae factum est nomen filiationis. Dixisti filium? utramque naturam significasti! Dixisti

* p. 91.

[1] *P. Gr.*, LXXVI, 220. — [2] *Ibid.*, 224. — [3] *Ibid.*, 68. — [4] LOOFS, p. 280. — [5] IOH., XII, 49.

Christum? neutram naturam secundum filiationem divisisti [1]! » Rursusque in homilia, cui inscriptum est: « De eo quod: Filius natus est nobis, et cetera [2] »: NESTORIUS: « Unicitatem filiationis servemus in natura divina et humana [3]. » Quae his consonant Leo quoque in Tomo scripsit: « sed unum Dei Filium et Verbum confiteremur et carnem [4] », quemadmodum etiam in supra consideratis eorum, quae tam impie * dicta sunt, cognationem atque concordantiam fuse demonstravimus.

*p. 92.

Cum Grammaticus impios ignorantiae suae oculos istis claudat, suarumque *sententiarum*, proximarum istis, quorum patronus esse vult, sensu prorsus careat, tanquam aliquis, qui somniat, haec audet stulte scribere: GRAMMATICUS: « Sed illis satis non est reprehensionibus subici, sed iterum calumniantes asserunt etiam male synodum protulisse haec verba: « De Patre enim et Filio et Spiritu sancto id, quod perfectum est, docet, et inhumanationem Domini [5] ». Dicunt enim: En, quaternitatem confitentur sicut Nestorius. Nam postquam dixerant: « Patrem et Filium et Spiritum sanctum », addiderunt: « et inhumanationem Domini ». Ego autem, talia audiens, nescio quomodo illorum miserear. De his enim, qui tales sunt, scriptum est: « Aures habent, et non audient », siquidem quae tam manifesta sunt, non intelligunt. Si enim asserant illos *chalcedonenses* de mero homine dixisse « inhumanationem Domini », non autem de Dei Filio, qui *est* ante saecula, dicant nobis quis in mente sua ita desipiat, ut dicat aliquem hominem inhumanatum esse. At evidens est nos de Deo Verbo, qui erat et est, dicere eum inhumanatum esse, eo quod homo factus est, cum talis non esset in sua natura divina ante carnis assumptionem. Qui ergo in Chalcedone *fuerunt* sancti Patres, post incorporalis Trinitatis doctrinam docuerunt nos etiam Dei Verbi inhumanationem novissimis temporibus pro nobis factam [7]. » Ecce autem, o stulte, *hoc* didicisti: Synodus in Chalcedone *congregata*, quae eiecit confessionem unius Christi « ex duabus » naturis, et eius loco elegit « in duabus * naturis » *Christum* dici subsistentem, secuta est Nestorium, negantem quidem atque respuentem « ex duabus »,

*p. 93.

[1] Cfr LOOFS, p. 336. — [2] Cfr *ibid.*, p. 322. — [3] *P. Gr.*, LXXVI, 36. — [4] *P. Lat.*, LIV, 773. — [5] MANSI, t. VII, col. 112. — [6] *Psalm.* CXIII, 14. — [7] Locum non repperi.

eligentem autem « in duabus » *naturis Christum subsistentem* dici, quemadmodum multis ostensum est. Unitatem quoque personae atque eam, quae ex dignitate et una filiatione agnoscitur, per Tomum Leonis admisit: quae duos dominos et Christos et filios nobis confingit, suadendo duas naturas participantes nomina et dignitatem exinde consequentem, ita ut agnoscatur, post Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus sancti, enumerationem, quartam ab illis annumeratam esse inhumanationem Domini. Nestorium enim dixisse audivimus: NESTORIUS: « Inconfusam ergo servemus adhaesionem; confiteamur Deum in homine; adoremus hominem divina adhaesione cum omnipotenti Deo coadoratum.[1] »

Sed te, ais, miseret nostrum, tanquam intelligentiae aures non habentium, quia audientes « inhumanationem Domini », intelligimus Dominum esse hominem, et in incongruam suspicionem infirmamque criminationem delabimur, cum nemo, nisi desipuerit, dicat inhumanatum esse *aliquem* hominem, verum utique, Dei Verbum, incorporale et secundum substantiam extra corpus et humanitatem *constitutum*, incarnatum et inhumanatum esse rectissime asserat. Scito igitur, o ter infelix, te tandem inscium hac summa impietate laborare, cuius defensorem te esse studuisti! Qui enim post unionem in duabus naturis Christum subsistere et agnosci dicunt, et eo ipso dissecant eum in Deum et hominem seorsum et duos filios et dominos, Verbum quidem Dei inhumanatum esse et habitasse, hominem vero humanitus se gessisse atque inhabitatum esse dicunt, sicque proinde utriusque est nomen * inhumanationis, unius quidem qui incarnatus est, alterius autem qui humanitus se gessit, ut mendaciter dicunt. Et istorum ipse Nestorius sua sponte testis ingredietur. Scripsit enim, in homilia, cui titulum imposuit: « Principium dogmatis », et in qua incepit dicendo: « Doctrina pietatis, ingredientium ecclesiam intentio », sic: NESTORIUS: « Non creavit Deum Verbum Spiritus sanctus, — « quod enim in ea, ait, de Spiritu sancto est [2] », — sed Deo Verbo templum ex Virgine condidit. Non mortuus est inhumanatus Deus, sed eum, in quo

*p. 94.

[1] Cfr LOOFS, p. 249. — [2] MATTH., I, 20.

inhumanatus est, suscitavit [1]. » Item et in opere ad Theopaschitas seu Cyrillianos: NESTORIUS: « Quodsi τὸ dividere proprietates carnis et divinitatis Filii apud nos additio quaedam quaternitatis nominetur, quid prohibet quominus ipsa quoque Filii inhumanatio apud vos silentio praetermittatur, ne augmentum accipiat Trinitas, *scilicet* substantiam, quae humanitus se gessit: nam seorsum a substantia, quae inhumanata est, *substantiam* quae humanitus se gessit nemo intelligit [2]. » ET ITERUM: « Etiam τὸ confundere proprietates naturarum, *scilicet* eius, qui inhumanatus est, et eius, qui humanitus se gessit, impiissimum est [3]. »

Disce igitur etiam exinde, Grammatice, frustra rursus tibi placuisse ineptam illam cavillationem, qua dixisti: « In duabus naturis dico Christum, id est, in duabus substantiis [4]. » Ecce enim audivisti Nestorium confessum esse « substantiam, quae humanitus se gessit, et *substantiam*, quae inhumanata est » *esse* Christum tuum et suum, — non enim verum atque nostrum, — substantias autem rursus nominasse « naturas », siquidem dixit: NESTORIUS: « Etiam τὸ confundere proprietates naturarum, scilicet eius, qui inhumanatus est, et eius, qui humanitus se gessit, impiissimum est [5]. » At istas substantias atque naturas rursus eleganter in « personas » transformavit, *scilicet* in « Deum inhumanatum » et in « eum, in quo *Deus* inhumanatus est »; dixit enim: * NESTORIUS: « Non mortuus est Deus inhumanatus, sed eum, in quo inhumanatus est, suscitavit [6]. »

*p. 95.

Cohaerentia atque concordantia cum istis, blasphemus quoque Dorotheus, qui fuit antistes marcianopolitanus, cuius mentionem in antea consideratis feci, detorquens [7] venerandum symbolum trecentorum decem et octo sanctorum Patrum ad impietatem suam et « Interpretationem fidei » inscribens tractatum suum, scripsit sic: DOROTHEI: « Quapropter dixerunt *Patres* nicaeni: « passus est », assumpti, non autem assumentis passionem esse probe ostendentes. Ideo primum dixerunt « inhumanatus est », et tum addiderunt « passus est », ut passiones non eius, qui inhumanatus est, sed eius, qui humanitus se gessit, esse

[1] LOOFS, p. 252. — [2] *Ibid.*, p. 210. — [3] *Ibid.* — [4] Locum non repperi. — [5] LOOFS, p. 210. — [6] *Ibid.*, p. 252. — [7] παρεξηγούμενος.

putaremus, solummodo probrum ex passione *manans* eius, qui inhumanatus est, *esse* cogitantes [1]. » Eos autem, cum unum Christum dividunt in eum, qui inhumanatus est, et eum, qui humanitus se gessit, inhumanationem intelligere non *eo sensu* quod Dei Verbum vere et immutabiliter homo factus sit, sed *eo sensu* quod per gratiam in homine habitaverit, — quemadmodum quoad nos quoque alicubi dixit: « Inhabitabo in illis, et inambulabo inter eos [2] », — planum est ex istis quoque discere.

Nam sanctus Cyrillus, in iis, quae contra Theodorum, qui fuit antistes mopsuestenus, scripsit, *illum* adducit impie effutientem haec: THEODORUS: « Utique, dicit [3]. Quemadmodum enim, quamvis ex Bethlehem esset, vocatus est nazarenus, propter suam commorationem et educationem ibi *factam*, ita etiam homo *dicitur*, quia habitavit in homine [4]. » CYRILLUS: « Frigidus quidem, puerilis et anilis est sermo! Non enim sicut ex civitate civis aut incola, ita propter habitationem in homine homo vocatur Verbum, cum * Deus sit. [5] » Et in oratione « Quod unus est Christus », eodem modo fuse iniquum istud artificium carpit et scribit haec: CYRILLUS: « O anilis mens et intellectus remissus atque vana effutire doctus, praetereaque nihil! Evigilate, temulenti, ex vino vestro, clamet quis ad adversarios. Quid veritati vim inferentes atque divinorum dogmatum virtutem detorquentes, extra regiam viam ambulatis? Ecce enim, ut videtur, Verbum factum est non caro quidem, ut scriptum est, sed potius hominis incola, et consequens fuerit illud ἀνθρωπαῖον potius, non autem ἄνθρωπον vocari, quemadmodum etiam is, qui in Nazareth habitavit, ναζωραῖος, non Ναζαρέτ vocatus est. Quinimo, ut puto, nihil tandem prohibet, — siquidem recte se habere censeant id, quod ab ipsis inepte inventum est, — quominus cum Filio etiam Pater homo vocetur, rursusque Spiritus sanctus: habitat enim in nobis per Spiritum plenitudo sanctae et consubstantialis Trinitatis. Paulus autem etiam dicit: « Nescitis quia templum Dei estis et Spiritus Dei habitat in vobis [6] ? » Rursusque ipse Christus: « Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus et man-

*p. 96.

[1] Locum non repperi. — [2] II *Cor.*, VI, 16. — [3] Theodorus. — [4] Locum non repperi; cfr tamen *P. Gr.*, LXXV, 131. — [5] Locum non repperi. — [6] I *Cor.*, III, 16.

sionem apud eum faciemus [1]. » At nusquam homo dicitur Pater, neque Spiritus sanctus, propterea quod habitant in nobis; irrident autem isti inhumanationis mysterium, detorquentes ad absurditatem divina Ecclesiae dogmata, quae adeo recta sunt, et digna quae audiantur. [2] » His similia etiam in tomo quarto adversus blasphemias Nestorii scripsit: CYRILLUS: « An vero ambiget quis, etiam post haec, sententiarum eius intentionem ad inscitiam simul impietatemque spectare et adversus pietatis dogmata *eum* audacter insurgere? * Sicut enim ipsum Dei Verbum carnem factum esse inepte reiciens, Illud operatum esse dicit in homine inhabitationem, ita rursus τὸ inhumanatum esse accipit [3]. » RURSUSQUE, POST PAUCA: « Asserit enim inhumanationem esse inhabitationem, non autem potius *in eo esse quod* sanguinis et carnis similiter ac nos particeps fieri ipsum ex Deo Verbum sustinuerit, quamvis in omnibus quidem sanctis habitaverit et adhuc inhabitet Verbum, semel autem factum sit in nostris et uni carni secundum hypostasim communicaverit, in qua pro nobis mortuum esse atque resurrexisse creditur, siquidem sua sponte carne passum est [4]. »

*p. 97.

Cum ergo Chalcedonenses his adversati sint, et in duabus naturis individuis Christum agnoscendum esse definierint, et pro hypostatica unione, qua Dei Verbum similiter ac nos sanguini et carni communicavit, unitatem personae elegerint, — sicut Leo, qui in Tomo dixit: LEO: « Propter hanc ergo unitatem personae, quae in utraque natura esse debet [5] », — omnibus manifesto apparent docentes inhumanationem esse inhabitationem Verbi in homine: huiusmodi enim sunt ii, qui unitatem personae praedicant. Ideo etiam, post enumerationem Patris et Filii et Spiritus sancti, inhumanationem quoque Domini numeraverunt, Dominum intelligentes atque dicentes eum, qui humanitus se gessit, eumque in quo Dei Verbum habitavit et inhumanatum est, largiens ei eandem dignitatem atque dominationem, ita ut tum inhumanati tum humanitus se gerentis, id est, utriusque domini convenienter et sit et dicatur communis inhumanatio: quemadmodum etiam tum habitationis, tum habitantis

[1] IOH., XIV, 23. — [2] *P. Gr.*, LXXV, 1313. — [3] *P. Gr.*, LXXVI, 176. — [4] *Ibid.* — [5] *P. Lat.*, LIV, 771.

nomen commune est ἔνοικος: dicitur enim * ἔνοικος tum is, qui habitat in domo, tum habitatio eius, qui *in ea* habitat.

*p. 98.

Si ergo haec calleres, o Grammatice, *scilicet* dogmata veritatis et sanas Patrum institutiones astutasque varietates haeresis, quam profiteris, non aestimares nos sensus expertes, qui improbavimus numeratam esse cum sancta Trinitate inhumanationem Domini inhumanati, id est, *numeratum esse* illum hominem inhabitatum secundum inhabitationem qua dignatus est, quia Verbum inhabitans secundum relationem recepit. Quod autem secundum impietatem suorum patrum ii, qui in Chalcedone congregati sunt, post enumerationem sanctae Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus sancti, addiderint inhumanationem Domini, derelinquendo atque contemnendo eximiam rectamque trecentorum decem et octo sanctorum Patrum imitationem, et solummodo ad illusionem et captionem simpliciorum praemittendo fidem illorum *Patrum,* — qui quidem Filium non dissecabant, sed *eum* ut Deum tractarunt [1], et dixerunt eum « incarnatum » consequenter usque ad « ascendit in caelum », et tunc dixerunt se credere « et in Spiritum sanctum »; — *quod, inquam, haec ita sint,* ostendit confictum fidei symbolum Theodori mopsuesteni, quem tanquam patrem suum aemulati sunt: qui, post sanctam Trinitatem, oeconomiam, id est, inhumanationem introduxit, impie delirando haec: THEODORUS: « Confitemur autem Patrem secundum personam perfectum, et Filium similiter, itemque Spiritum sanctum, salva nobis manente ratione pietatis, eo quod Patrem et Filium et Spiritum sanctum non tres quasdam diversas substantias esse existimemus, sed unam per identitatem divinitatis agnitam. Oportet autem de oeconomia quoque, quam * pro salute nostra Deus in oeconomia Domini nostri Christi adimplevit, sciamus Deum Verbum assumpsisse hominem perfectum, qui est ex semine Abrahae et David [2]. »

*p. 99.

Haec est impiorum regula: separare et, per additionem, cum sancta Trinitate numerare inhumanationem Domini; quae *regula* hominem assumptum ex semine Abrahae et David Verbo Dei adhaerere facit. Quod autem in enarratione et symbolo fidei oporteat, post nominationem Dei Patris, coniunctim Unigenitus praedicetur ut Deus [3], dicaturque eum inhumanatum esse, nulla

[1] θεολογεῖν. — [2] *P. Gr.*, LXVI, 1017. — [3] θεολογεῖσθαι.

prorsus interpositione facta ante sermonem de oeconomia, tumque addatur: « Credimus in Spiritum sanctum », docet rursus sanctus Cyrillus, in libro nono commentarii evangelii Iohannis, sic: CYRILLUS: « Simul autem cum fide in Deum inferri nomen Christi, evangelicorum praeconiorum praeceptum esse videtur. Oportet enim quotquot recte sentiunt in Deum Patrem credant, neque simpliciter in Filium, sed etiam *in Filium* inhumanatum, et in Spiritum sanctum [1]. » ET POST PAUCA: « In Deum Patrem igitur est fides, et in Filium, etiam postquam homo factus est, et in Spiritum sanctum. Nec quisquam, ut opinor, si modo recte sapit, separat a Deo Verbo templum ex Virgine, quod ad filiationem nimirum attinet. Unus enim Dominus Iesus Christus, iuxta Pauli vocem. Qui vero in dualitatem filiorum illum unum ac solum dividit, prorsus sciat se fidem negare. Nam et divus Paulus eximie et rectissime de his sermonem texens, non nudum nobis Unigenitum induxit * ad fidem, sed in nostris, id est, hominem factum et mortuum et a mortuis suscitatum [2]. »

Ii autem, qui post Patrem et Filium et Spiritum sanctum numerant inhumanationem Domini, nolunt admittere Unigenitum Verbum, unum ex Trinitate incarnatum et inhumanatum, passum esse et crucifixum et sepultum, et a mortuis surrexisse carne, secundum divinas Scripturas. Sic olim, cum in regia Constantini civitate essem ego, duos viros ex Occidente allocutus sum; nomen primo Petronius, alteri autem Renatus, et illius quidem Romam, huius autem Ravennam civitatem esse dicebant. Facta autem inter nos fusa de dogmate collocutione, — nam graecam quoque linguam callebant, — cum dicerent se confiteri Christum in duabus naturis et in duabus formis, quarum una quidem passionibus et iniuriis succumbit, altera autem coruscat miraculis, ut dicit Tomus Leonis, tamque audacem divisionem dissimularent, addebant: «Unum eundemque dicimus Filium et Dominum et Christum ». Post multas impietatis reprehensiones et scripturisticas demonstrationes, quae veritatem ostendebant, rogabam eos ut dicerent an confiterentur unum ex Trinitate esse eum, qui carne crucifixus est propterea quod, cum carnis expers esset secundum substantiam, incar-

[1] *P. Gr.*, LXXIV, 180. — [2] *Ibid.*

natus et inhumanatus est. Et tanquam a vulnere fugerunt ab illa propositione, aliud quid tandem dicere nolentes, nisi humanam formam atque naturam crucifixam et passam esse, dividentes illam * a Verbo et singillatim constituentes, atque dissecantes in duo eum, qui immutabiliter incarnatus et inhumanatus est, et est unus indissecabilis.

Iis ergo, qui ex Tomo Leonis edocti sunt usque ad praesentem diem et synodo chalcedonensi favent, ita sentientibus et dicere unum de Trinitate eum, qui carne crucifixus est, non tolerantibus, honestus *iste* logographus et qui ex seipso nobis visus est grammaticus [1], praesumit scribere et dicere: GRAMMATICUS: « Sancti Patres nostri, qui in Chalcedone *congregati sunt*, post doctrinam de incorporali Trinitate, docuerunt nos etiam Dei Verbi inhumanationem novissimis temporibus factam [2]. » Ecce autem manifesto apparuit eos, qui respuerunt *formulam qua* « ex duabus naturis » Christus *esse* proclamatur, et respuerunt cum hac formula hypostaticam unionem, atque pro illa introduxerunt *formulam qua* dicitur «in duabus naturis» *Christum* agnosci, secundum hanc « unitatem personae in utraque natura intelligendam », qua « homo magnitudine dignitatis divinae non consumitur », iuxta inania Nestorii [3] verba, — *eos, inquam,* post nominationem sanctae Trinitatis, inhumanationem Domini quartam introduxisse, praesertim in enarratione et symbolo et definitione fidei, ubi prorsus oportuisset theologia et oeconomia Unigeniti Verbi Dei minime dissecarentur, sed postquam confessi essent se credere in Patrem et in Filium incarnatum, statim addidissent se credere etiam in Spiritum sanctum, non autem, sicut symbolum infidelitatis a Theodoro mopsuesteno confictum, postquam dixissent: « Credimus in Patrem et in Filium et in Spiritum sanctum », tandem revertentes introduxissent atque velut * sarcinam addidissent oeconomiam Christi, id est, inhumanationem Domini. Nisi ergo haec adessent, quae suspicionem et malam existimationem generant, iustamque accusationem corroborant, utique diceremus irreprehensibile esse commemorare sanctam Trinitatem rursusque mentionem facere Unigeniti incarnati et inhumanati, qui est Chris-

[1] Voces λογογράφος et γραμματικός ironice et contemptim adhibentur a Severo. — [2] Locum non repperi. — [3] Intellige: « Leonis ».

tus Iesus Salvator omnium nostrum: reperitur enim quandoque talis dicendi modus in scriptis sanctorum Patrum atque eximiorum Doctorum. Nam Gregorius Theologus, sub fine primae orationis de Filio, scripsit sic: GREGORIUS NAZIANZENUS: « At nos, Trinitatem nobis servantes et a Trinitate servati, puri manebimus et inoffensi usque ad perfectam eorum, quae cupimus, ostensionem, in Christo Domino nostro, cui gloria in saecula saeculorum. Amen. »[1] Sapiens autem Cyrillus, in libro tertio commentarii evangelii Matthaei, scripsit haec: CYRILLUS: « Manifestavit enim nobis profundum mysterium oeconomiae cum carne, atque sanctae et consubstantialis Trinitatis plenitudinem[2]. » At, nemo illis egregiis doctoribus notam inurit tanquam existimantibus Christum alium esse extra sanctam Trinitatem, quia illum confitentur ex duabus naturis unam personam unamque hypostasim et naturam, scilicet Verbum incarnatum et inhumanatum. Nam Gregorius quidem, in epistula ad Cledonium, dicit: GREGORIUS NAZIANZENUS: « Aliud quidem atque aliud *sunt* ea, ex quibus Salvator noster, quippe cum non idem sit invisibile cum visibili, neque quod temporis expers est cum eo, quod

* p. 103.

tempori subest; non tamen alius atque alius Filius: * absit[3].» Et in oratione de Epiphania, id est, de nativitate: EIUSDEM GREGORII: « Progressus autem Deus cum assumptione, unum ex duobus inter se contrariis, carne *nimirum* et Spiritu[4]. » Sapiens autem Cyrillus, in multis quidem locis, sed etiam in tomo secundo adversus blasphemias Nestorii, scripsit sic: CYRILLUS: « Una enim iam concipitur natura post unionem, ipsius *nempe* Verbi *natura* incarnata, sicut etiam de nobis ipsis convenienter intelligitur. Homo enim unus est re vera, compositus ex dissimilibus rebus, ex anima, inquam, et corpore. Porro necesse est etiam nunc notari nos dicere corpus illud, quod Deo Verbo unitum est, fuisse anima rationali animatum[5]. »

Iam vero synodum chalcedonensem dicit Theodoretus, ad Iohannem Cilicium scribens, ideo in duabus naturis definivisse Christum *esse*, ut per unum filiationis nomen et dignitatis communionem duae *naturae* censerentur una persona et una hypos-

[1] *P. Gr.*, XXXVI, 104. — [2] Locum non repperi. — [3] *P. Gr.*, XXXVII, 180. — [4] *P. Gr.*, XXXVII, 325. — [5] *P. Gr.*, LXXVI, 60.

tasis, nam pro nomine personae, ait, assumitur nomen hypostasis[1]: quod fuse in antea consideratis confutatum est.

CAPUT TRICESIMUM

Quod ii, qui ex duabus naturis confitentur unam esse naturam Verbi incarnatam, agnoscunt et differentiam et proprietatem et diversitatem naturarum ex quibus inconfuse et indivise haec una *natura* compingitur, *scilicet differentiam* velut in qualitate naturali, vi cuius in subtili tantum contemplatione apprehendimus notionem substantiae eorum, quae congregata sunt, non autem *differentiam* quae dualitate, post unionem, seponit proprie et singillatim naturas, ita ut teneat utraque *natura* * sine defectu proprietatem suam suaque operetur, naturis etiam in unitate secundum personam congregatis, iuxta Tomum Leonis.

* p. 104.

His simul manifeste ostensum est eos, qui ex duabus naturis unum Christum confitentur, et unionem hypostaticam inconfusam simul et individuam confitentur, cuius terminus est unam esse naturam Dei Verbi incarnatam, — nam hic est Christus, — agnoscere differentiam, seu proprietatem atque diversitatem, naturarum ex quibus ineffabiliter in unum compingitur: differentiam autem et proprietatem et diversitatem velut in qualitate naturali, quatenus caro quidem anima menteque praedita, id est, humanitas, est creata, tempori subdita, visibilis, palpabilis et solida, divinitas autem Verbi saeculis antiquior, impalpabilis et invisibilis, non vero quatenus singillatim et proprie et separatim subsisterent atque scinderentur in dualitate post ineffabilem unionem; contra, ex utraque unus idemque agnoscitur, saeculis antiquior et qui in fine temporum factus est, invisibilis et qui videtur, impalpabilis et qui palpatur, supra passiones et qui patitur. Cum enim incarnatus est, haec omnia illi indivise conveniunt, neque scinditur. Nam cum secundum naturam suam Deus esset, neque desivisset esse id, quod erat, visus et palpatus et passus est secundum quod factus est: etenim, usque ad illum, qui natura potest pati, passionum vis et efficacitas pertingit.

[1] Cfr supra, t. I, p. 218. Textum secus deperditum Theodoreti refert Severus, in opere *Philalethes* (edit. A. SANDA, p. 30 textus et p. 43 versionis).

Haec autem ita se habere verax inspiratae Scripturae interpres et genuinus mystagogus inhumanationis * Dei Cyrillus docet, adversus Diodorum scribendo sic: CYRILLUS: « Sciamus igitur corpus illud, quod in Bethlehem natum est, quamvis non idem sit, — velut in qualitate naturali dico, — cum Verbo, quod ex Deo Patre *est*, eius tamen esse, non autem alius cuiuslibet filii. Concipitur autem *ut* unus Filius et Christus et Dominus Verbum incarnatum [1]. » ET POST ALIA: « quia et nos ipsi dicimus carnem, secundum proprietatis rationem, prorsus ἑτεροφυᾶ esse ac Verbum, quod ex Deo Patre natum est. Ipsius tamen est, per unionem indissecabilem, ita ut ipsum quoque Verbum, quod ex Dei et Patris substantia effulsit, semen Abrahae nominetur secundum carnem, ipsum ad id vocante oeconomia nihilque laedente ne id quodcumque sit, quod est. Cum enim Deus natura esset, vere Filius hominis factus est, et est Filius Dei et Patris, non extraneus neque falsi nominis *filius* [2]. » RURSUSQUE, PAULO POST: « Itaque, quamvis nemo dicat semen Abrahae ex ipsa Dei et Patris substantia prodiisse, quemadmodum neque ipsum Unigenitum *illud semen esse dicit,* virtus tamen unionis inconfuse et immutabiliter factae divisionem tollit. Iste autem rursus, quia secundum qualitatem naturalem neque caro est Unigenitus, neque vicissim Verbum caro, non recte dividit, alium atque alium esse ponens et duos confitens filios, quibus habitudinalem adhaesionem vix concedit [3]. » Item etiam in tomo quinto adversus Nestorii blasphemias: CYRILLUS: « Sed, nisi *Verbum* factum sit palpabile et visibile, utpote habens corpus tactui visuique subiectum, quomodo speculatores Verbi facti sunt * sapientissimi illi discipuli? Quomodo etiam asserunt se vidisse et contrectasse Verbum vitae, quae erat apud Patrem et apparuit nobis [4]? Hunc ipsum ergo contrectabilem atque visibilem, hunc qui ligno suffixus fuerat, agnovit quidem Thomas, rectissime autem confessus est Deum et Dominum; dixit enim statim: « Dominus meus et Deus meus [5]. »

* p. 105. * p. 106.

Qui ergo confitentur unum ex duobus, ex divinitate et humanitate, Dominum Iesum Christum, et unam personam et

[1] PUSEY, t. III, p. 499 (syriace tantum, iuxta varios codices). — [2] *Ibid.*, p. 500 (item). — [3] *Ibid.*, p. 501 (syriace tantum). — [4] Cfr I IOH., I, 1-3. — [5] *P. Gr.*, LXXVI, 241; IOH., XXII, 28.

unam hypostasim et unam naturam Verbi incarnatam, agnoscunt atque confitentur differentiam et proprietatem et diversitatem, velut secundum qualitatem naturalem, naturarum ex quibus unus Christus ineffabiliter componitur, illamque *differentiam* quasi subtili cogitatione et mentis contemplatione scrutantes, non praetextum efficiunt ad dividendum Emmanuelem post unionem ea naturarum dualitate, quae vergit ad perfectam secretamque diversitatem et singularitatis proprietatem atque penitus dividit singulis naturis ea omnia, quae ipsis sunt propria. Attendas rursus, quaeso, sanctum Cyrillum idipsum docentem, in epistula ad Acacium, episcopum militenensem sic: CYRILLUS: « Una enim certissime est natura Dei Verbi; scimus autem eam incarnatam esse atque inhumanatam, sicut iam antea dixi. Quo autem modo incarnata sit et inhumanata si quis curiosius inquirat, videbit Deum Verbum, qui ex Deo est, formam servi assumpsisse et in similitudine hominum factum esse, ut scriptum est [1]. Atque secundum hoc ipsum et solum intelligetur differentia naturarum seu hypostasium; non enim idem sunt secundum qualitatem naturalem divinitas et humanitas; secus, quomodo exinanitum est, cum Deus * esset, Verbum, seipsum ad inferiora, id est, ad nostra demittens? Cum itaque modus incarnationis studiose inquiritur, duo inter se ineffabiliter et inconfuse secundum unionem coniuncta videt prorsus intellectus humanus; attamen, ubi unita sunt, nullo modo ea disiungit, sed unum, qui ex duobus, et Deum et Filium et Christum et Dominum esse credit et inconcusse admittit [2]. » Itaque, non dividere ea, quae unita sunt, simulque acuto cogitationum oculo eorum differentiam et proprietatem et diversitatem secundum qualitatem naturalem agnoscere, est credere et inconcusse admittere *Christum* unum ex duobus esse. Ad Nestorium autem qui, sicut etiam synodus chalcedonensis, non admittit *formulam* « ex duobus », et quasi ex necessitate dividit atque separat, et devenit ad perfectam, secretam et propriam diversitatem separatim constituentem naturas secundum dignitatem et honoris aequalitatem dolose coaptatas, sanctus Cyrillus, in tomo secundo adversus blasphemias eius, reprehenso-

* p. 107.

[1] *Philipp.*, II, 7. — [2] *P. Gr.*, LXXVII, 193.

ric clamat sic: CYRILLUS: « Sed si separas naturas, simul cum illis discedent etiam ea, quae unicuique *naturae* sunt naturaliter propria; prorsus autem recedet etiam ratio differentiae: duo igitur *erunt* procul dubio [1]. »

Illius autem effrenatae differentiae atque cognitionis, quae non *tantum* usque ad qualitatem naturalem sola veluti contemplatione discernit τὸ ἑτεροφυές eorum, quae unita sunt, sed currit ad ostendendum naturas, etiam post unionem, in dualitate subsistere et in singularitatibus subsistentibus [2], et quae unum *Christum* ex duobus ineffabiliter compositum, scilicet unam naturam Verbi incarnatam, solvit, claram indicationem tradit Leo in Tomo * dicens: « Tenet enim sine defectu proprietatem suam utraque natura [3].» Quomodo enim dicemus utramque naturam tenere sine defectu sua propria, cum Dominus, postquam resurrexit a mortuis, discipulis in domo congregatis apparuerit et ianuis clausis ingressus sit? Etenim, alienum est a corpore humano et solido et visibili et palpabili et, ut uno verbo dicam, consubstantiali corporibus nostris, ianuis clausis ingredi, sicut et super fluctus maris ambulare a natura humana est alienum. Itaque manifeste falsum est dicere: « Tenet enim sine defectu proprietatem suam utraque natura [4] », idque dissolutio est indissecabilis et inexplicabilis incarnationis: quam si quis dividat dualitate naturarum post unionem, sine defectu natura humana separatim tenet sua propria subiacetque proprietatibus naturalibus, et natura Dei Verbi solius seorsim *constituta* multis divinis sublimitatibus coruscat.

* p. 108.

At quia, iuxta sacram Pauli vocem, Christus non divisus est [5], sed una est natura Filii incarnata et inhumanata, non autem duo post unionem, utpote naturae auctor atque plasmator, in proprietatibus naturam superantibus vel incarnatus apparebat, sinens carnem hypostatice sibi unitam quandoque sua propria pati. Quod et sanctus Cyrillus confirmat, adversus reprehensiones iniqui Theodoreti in defensione capituli decimi scribendo sic: CYRILLUS: « Quando tibi apparet gravitas opprobrii exinanitionem consequentis, admirare vehementius Filii caritatem * erga nos. Quod enim tu parvum dicis, hoc voluntarium

* p. 109.

[1] *P. Gr.*, LXXVI, 105. — [2] ἐν μοναδικοῖς ἰδιοσυστάτοις. — [3] *P. Lat.*, LIV, 765. — [4] *Ibid.* — [5] Cfr I *Cor.*, I, 13.

propter te fecit. Flevit humane, ut tuam cohiberet lacrymam; timuit oeconomice, sinens etiam se interdum carne pati ea, quae *carnis* sunt propria, ut nos animosiores exhiberet [1]. »

Atqui, si oeconomice sivit permisitque carnem interdum sua propria pati, evidens est eam non tenuisse sine defectu suam proprietatem. Nam et in multis apparuit gloriose non subiecta terminis propriae naturae: sic etiam postquam emisit spiritum, cum miles latus divinum transfixisset, fons vitae fluxit, sanguinis et aquae remissionis. Undenam ergo mirifico Leoni contigit scribere: « Tenet enim sine defectu proprietatem suam utraque natura [2] »? At, omnibus manifestum est non aliunde *eum sic scripsisse,* nisi ex eo quod confiteatur falsi nominis [3] unitatem personae, in qua putat se per relationem colligare istas non imminutas proprietates naturarum. Scripsit enim, in ipso Tomo, ante illa, sic: LEO: « Salva igitur proprietate utriusque naturae et in unam coeunte personam, suscepta est a divinitate humilitas, a virtute infirmitas, ab immortali mortalis [4]. »

Si vero unionem hypostaticam mente teneret et confiteretur, non diceret utramque naturam tenere sine defectu proprietatem suam sed, sicut sanctus Cyrillus, diceret Verbum Dei permisisse carnem interdum sua propria pati et per leges naturae suae pergere, ita ut ipsum *Verbum* sic quoque ut sua toleraret ea, quae carnis suae sunt, simul non excidendo ab eo, quod secundum substantiam habet, neque ab impassibilitate supremaque celsitudine. Idem enim *Cyrillus* *, in tomo quinto adversus blasphemias Nestorii, scripsit sic: CYRILLUS: « Considera igitur quomodo ipse nihil deiectus, neque rursus in natura sua sustinens infirmitatem, concesserit carni suae per suas proprias leges pergere; et ipsius ea res dicitur, quia proprium eius est corpus. Igitur hominem quidem cum ostendit nobis illud ipsum, quod secundum carnem infirmatus sit, Deum autem, qui nescit infirmari, illud quod non fuerit detentus in morte, sed a proprio corpore removerit corruptionem: est enim vita et virtus Patris [5]. » RURSUSQUE, POST ALIA: « Proinde concedebat quidem corpus esse secundum leges naturae suae et mortis gusta-

* p. 110.

[1] *P. Gr.*, LXXXVI, 441. — [2] *P. Lat.*, LIV, 765. — [3] ψευδώνυμος — [4] *P. Lat.*, LIV, 763. — [5] *P. Gr.*, LXXVI, 228.

tionem excipiebat, idque ut pateretur opportune permittebat Verbum illud regens; divina autem virtute Verbi illi hypostatice uniti vivificabatur[1]. » Iamvero impius Theodoretus, in oratione de inhumanatione Domini, confitens sicut Leo unitatem personae, in capite vicesimo haec dicit: THEODORETUS: « Ita etiam beatus Paulus per totam epistulam tum proprietates naturarum, tum unionem personae praedicat[2]. » Idem autem, in reprehensione tertii capituli sancti Cyrilli, dicebat: THEODORETUS: « Quomodo impietatem adscribit iis, qui dividunt proprietates naturarum, *scilicet* Dei, qui *est* ante saecula, et hominis in fine dierum assumpti[3]? » Similiter etiam, in reprehensione capituli octavi, dicit: THEODORETUS: « Igitur utriusque naturae proprietates dicentes, Dominum nostrum Christum adoramus[4]. »

Clare ergo ex his agnosces, o Grammatice, Chalcedonenses, qui unionem personae confitentur, et quod ex duabus naturis proclametur * unus Christus reiecerunt, — quod mirabiliter perficit unio hypostatica, — ut Theodoretum illum tuum, dividere proprietates Dei, qui *est* ante saecula, et hominis in fine dierum assumpti. Semel enim diviso Emmanuele duplicitate naturarum post unionem, simul cum naturis dualitate divisis discedunt ipsae proprietates, pariterque efficientiae, et utraque *natura* separatim et sine defectu proprietatem et efficientiam suam tenet. Itaque loquaciter procul dubio, et ignorans in quodnam impietatis profundum te iacias, o stulte, haec inepte deliras: GRAMMATICUS: « Verumtamen ii, qui calumniandi artem callent, seu potius amentes sunt et ex vesania Eutychetis hauserunt, cum nolint duas substantias in Christo confiteri, culpant eos, qui *hoc* dixerunt, et asserunt perperam dictum esse retineri potius proprietatem utriusque naturae[5]. »

Haec dicens atque scribens, idem facis ac si quis asserat sectatores Arii esse eos, qui consubstantialem dicunt sanctam Trinitatem, propterea quod non dicunt, sicut Sabellius, divinitatem *esse* unam hypostasim tribus nominibus appellatam[6]. Neque enim quia horrenda nobis est iudaica tua divisio, quae unum Christum dividit dualitate naturarum post unionem, ita ut cum

[1] *P. Gr.*, LXXVI, 240. — [2] *P. Gr.*, LXXV, 1460. — [3] *P. Gr.*, LXXVI, 404. — [4] *Ibid.*, 429. — [5] Locum non repperi. — [6] τρισώνυμος.

unaquaque ex naturis discedant sine defectu efficientiae atque proprietates eius, ideo irretimur manichaeis laqueis Eutychetis negantis veritatem illius corporis nobis consubstantialis et anima rationali praediti, quod Deus Verbum hypostatice sibi univit. Scimus enim atque profitemur, sicut iam antea dictum est, naturarum, ex quibus ineffabiliter unus Christus * compingitur, proprietatem, differentiam et diversitatem secundum naturalem qualitatem, quae in contemplatione discernitur, — non autem eam, quae declinat in diversitatem secretam et propriam, quaeque naturas invicem dimovet, — ita ut ea, quae in contemplatione et cogitationis separatione duo videntur, itemque propter substantiae *veritatem* et differentiam et non-identitatem, iam non sint duo, sed unam absolvant hypostasim et naturam Verbi incarnatam. Et quia in omni propositione tibi, iisdem causis crapulato, eadem medicinae verba misceamus oportet, iterum audi sapientem Cyrillum in iis, quae ad Succensum scripsit, clamantem et dicentem sic: CYRILLUS: « Sed meris cogitationibus separantes et subtilibus quodam modo contemplationibus seu phantasiis intellectus differentiam apprehendentes, non separatim ponimus naturas, neque rursus virtutem sectionis in illas permittimus, sed unum illas esse intelligimus, ita ut illae duae *naturae* non iam sint duo, sed utraque unum animal absolvatur[1]. »

Clamante ergo Doctore *naturas* iam non fore duas, te autem nobis proferente duas naturas individuas, quae tenent sine defectu proprietates suas et personae unitate colligantur atque a naturali et substantiali differentia in perfectam sectionem et omnimodam diversitatem procedunt, exsurgunt ad correptionem *faciendam* ea, quae in secunda epistula ad Succensum reperiuntur: quae eorum, quae in unum compacta sunt, proprietatem secundum naturam, id est, secundum differentiam substantiae, ostendunt *et* prohibent quominus naturae separatim invicem dimoveantur in proprietatem et diversitatem *. Dixit autem sic: CYRILLUS: « Nam etiamsi dicatur a nobis Unigenitus Filius Dei incarnatus et inhumanatus, non propterea permistus est, ut illis placet, neque rursus in carnis naturam transiit Verbi *natura*, neque carnis *natura* in *naturam* Verbi; sed, utroque

[1] *P. Gr.*, LXXVII, 245.

in *sua* secundum naturam proprietate simul manente atque considerato, iuxta rationem modo a nobis redditam, ineffabilis et inexplicabilis unio unam nobis exhibuit naturam Filii, sed, ut dixi, incarnatam [1]. »

Ostende igitur, o bone, synodum chalcedonensem vel Tomum Leonis definiendo dixisse « in proprietate secundum naturam », ne intelligeremus divisam proprietatem atque diversitatem, quae dimovet atque separat naturas in dualitate post unionem, sed eam tantum quae *habetur* per differentiam qualitatis naturalis: quae etiam unioni servat immunitatem a confusione, et non solvit id, quod exinde perficitur, unam scilicet esse naturam incarnatam. At, *hoc* ostendere non vales, siquidem in contrarium fuit totus zelus eorum, *scilicet in* hoc ut definirent Christum *esse* in duabus naturis individuis, quae tenent sine defectu suas proprietates nullumque patiuntur frenum, quod perfectam dualitatis sectionem cohibeat. Quapropter tu quoque locum hucusque apposuisti: Ex Cyrilli *epistula locus,* quem exsecuit Grammaticus: « Sed utroque in *sua* secundum naturam proprietate simul manente atque considerato [2] », neque erubuisti, etsi ipsa sententiae structura claudicat et suspensa manet atque tibi reclamat propter sacrilegam abscissionem, ostenditque quisnam sit terminus unionis cohibentis diversitatem et effrenatam proprietatem, eamque usque ad differentiam in qualitate naturali *tantum* exsurgere sinentis *, dicendo sic: Cyrillus: « Sed, utroque in *sua* secundum naturam proprietate simul manente atque considerato, iuxta rationem modo a nobis redditam, ineffabilis et inexplicabilis unio unam nobis exhibuit naturam Filii, sed, ut dixi, incarnatam [3]. »

Attamen, etiam cum abscissus esset locus, inveniebatur in illo reprehensio impietatis. Nam determinationem statuit: « tanquam in *sua* secundum naturam proprietate », ut excluderet, post unionem, dualitatis proprietatem atque diversitatem, seorsum naturas invicem dimoventem. Ideo etiam in *oratione* «Quod unus Christus » dicit: Cyrillus: « Non dividendum est, ut dixi, in privatam diversitatem, quae illas *appellationes* a se mutuo dimoveat et singillatim *constituat,* sed potius conferendae sunt

[1] *P. Gr.*, LXXVII, 241. — [2] *Ibid.* — [3] *Ibid.*

in indissecabilem unionem. Verbum enim caro factum est, iuxta vocem Iohannis [1]. »

CAPUT TRICESIMUM PRIMUM

Loci Basilii, olim quidem ab impiis exhibiti, nunc autem a Grammatico exscripti, et redarguentes blasphemiam simul et ignorantiam eorum, qui distinctionem temporis praecedentis inhumanationem et *temporis* inhumanationis, atque substantialem differentiam naturarum, ex quibus unus *constituitur* Christus, causam praetexunt dualitatis naturarum post unionem.

Tam indocte intelligens et impie dilacerans sanctorum Patrum voces, apponit iste bonus uniuscuiusque ex illis locos, quos sibi profuturos esse existimat, quin animadvertat illis potius redargui suam impietatem. Horum *locorum* nonnullos, qui in omnium ore, ut ita dicam, inveniuntur, subiciam velut * ad considerationem; ceteros dimittam occurentibus illis, ut illos simili modo considerent, etsi iam in antea dictis ostendimus quomodo nonnulli recte dicti sint a doctoribus sanctae Ecclesiae, et quomodo illos in id, quod sibi libet, mutare audeant ii, qui diphysitica et diprosopitica Nestorii impietate laborant.

Apposuit ergo, ex prima sancti Basilii oratione de ieiunio, haec: Basilii *locus,* quem adducit Grammaticus: « Inaccessus enim erat illi propter sublimitatem divinitatis suae, nisi per ieiunium descendisset ad humanam conditionem. Reversurus tamen in caelum. cibum gustavit, corporis suscitati naturam asseverans [2]. » Vere tempus est dicendi, sicut propheta psallens, de iis, qui haec adversus semetipsos adducunt: « Gladius eorum intret in cor eorum [3]. » Ipse enim Emmanuel, diabolo inaccessus propter sublimitatem divinitatis, descendit ad humanam conditionem, id est, passionem esuriei sua sponte suscepit, quia hypostatice uniebatur corpori esurire valenti. Prius namque dixit Doctor, ante locum *adductum,* cum adversario per indigentiam quasi ansam praebuisse [4]; post resurrectionem *autem,* cum elevaretur in caelum et finem acciperet oeconomia, non propter

[1] *P. Gr.*, LXXV, 1289. — [2] *P. Gr.*, XXXI, 177. — [3] *Psalm.* xxxvi, 15. — [4] Cfr *P. Gr.*, XXXI, 177.

indigentiam cibum iam gustabat, sed ut phantasiae fabulam destrueret, confirmaretque se in hoc corpore surrexisse, in quo naturam cibi sumendi capacem habebat.

Itaque Basilius quidem, fidus mystes divinae inhumanationis Verbi, quique Illud impie non dividebat, dixit eum, qui diabolo inaccessus erat propter sublimitatem divinitatis, ipsum descendisse ad humanam conditionem, * ut per esuriem atque indigentiam adversario quasi ansam praeberet. Leo autem, in Tomo, diligens eorum, qui Christum in duabus naturis individuis definierunt, interpres factus, et unitatem personae, ut ait, in utraque natura agnoscendam confitens, indigentiam et esuriem homini seorsum *constituto* tribuit, scribendo sic: Leo: « Esurire enim et sitire et lassescere et dormire, certissime hominis est[1]. » Quaenam ergo est societas luci ad tenebras[2]? Aut quomodo non sunt ista impia verba contraria vocibus doctorum pietatis?

* p. 116.

At iste ignarus et stultus, velut canis gulosus et carnis odore illectus, iam saepissime reprehensus, ipso naturarum nomine decipitur; et quia Doctor dicit: « corporis suscitati naturam asseverans », putat id sibi satis esse ad hoc ut unum Christum dualitate naturarum post unionem dividat. Porro istum insanum fugit id, quod tam manifestum est, *scilicet* quemlibet, nisi eadem, qua et ipse, amentia laboret, utique existimaturum esse, etsi corpus non pertinet ad naturam, id est, ad substantiam Dei Verbi, unum tamen ex utroque inconfuse agnosci Christum, unamque naturam et hypostasim Verbi incarnatam. Verum non cessant, neque ipse *Grammaticus*, neque ii, qui in eodem errore versantur, insanire ut cum differentia secundum substantiam, dico *differentiam* divinitatis et humanitatis, quae ineffabiliter congregatae sunt in unum, inhumanationem dividant, perinde ac si Verbum tandem non esset incarnatum; et derivationes huiusmodi locorum[3] colligunt, differentiam substantiae * Dei Verbi et carnis assumptae indicantium, et putant cum differentia substantiae intelligi etiam divisionem, et in duas naturas dissecant Emmanuelem, ita ut non Deus sit is, qui esurivit, sicut et crucifixus est, carne.

* p. 117.

[1] *P. Lat.*, LIV, 769. — [2] II *Cor.*, VI, 14. — [3] Id est, locos derivatione in suum sensum conversos.

At vero, ad Nestorium, talis amentiae auctorem, in tomo quinto adversus blasphemias eius, sapiens Cyrillus sic dicit: Cyrillus: « Cum vero dicis: « Non enim contrectatione divinitas invenitur[1] », iterum hoc dicemus: Quid, reiecta oeconomia, tanquam de nuda divinitate nobis disseris? Ad id autem quasi pertingens ut obliviscaris et incarnatum et inhumanatum esse impalpabilem et incorporalem, non persuaderis, Scriptura illum Deum vocante, propterea quod carne sit contrectatus, itemque sanctis apostolis visus? Sed nos, amice, simul cum beato Thoma, illum ligno suffixum, illum manibus contrectatum humanisque oculis visum, laudibus ipsum decentibus coronantes dicimus: Dominus meus et Deus meus[2]. »

Rursus autem eiusdem sancti Basilii locum affert, ex oratione adversus Eunomium, in illud: « Dominus creavit me[3] »: Basilii *locus*, quem adducit Grammaticus: « Si Deus Filius erat, qui dicebat: « Dominus creavit me », potius dixisset: « Pater meus creavit me ». Nusquam enim ipsum Dominum suum dicebat, sed semper Patrem suum vocabat. Assumatur proinde illud quidem « genuit » de Deo Filio, illud vero « creavit » de eo, qui formam servi assumpsit. Ceterum, in his omnibus non duos * dicimus, Deum seorsum et hominem seorsum, — unus enim erat, — sed velut secundum imaginationem naturam uniuscuiusque consideramus. Neque enim Petrus duos intellexit, ubi dixit: « Christo igitur passo pro nobis carne[4]. » Et illi loco alium annectit, ex eadem oratione, in illud: « Cum subiecta fuerint ei omnia, tunc et ipse Filius subicietur[5]. » Hunc autem *locum*, qui ante multa alia in oratione reponitur, et etiam ante locum modo allatum, ordine secundum posuit iste indoctus, *sic* omnibus indicans se ex alienis excerptis illos exscribere, non autem legisse atque cognovisse singulorum verborum integram dispositionem aut intentionem. Ipse autem locus se habet sic: Rursus Basilii *locus*, quem adduxit Grammaticus: « Si divinitus Filius Patri subicitur, ab initio subiciebatur, ex quo et Deus erat. Sin autem non subiciebatur, sed postea subicietur, humanitus pro nobis, non divinitus pro semetipso *subicietur*[6]. » Quibuscum tertium

* p. 118.

[1] *P. Gr.*, LXXVI, 240. — [2] *Ibid.*, 241; Ioh., XX, 28. — [3] *Prov.*, VIII, 22. — [4] *P. Gr.*, XXIX, 704: I Petr., IV, 1. — [5] I *Cor.*, XV, 28. — [6] *P. Gr.*, XXIX, 693.

quoque locum copulavit, ex illa ad Amphilochium epistula, cuius initium est: « A multis iam investigatum est dictum evangelii, de eo quod nesciat Dominus noster Iesus Christus diem consummationis et horam [1] »: IPSIUS BASILII *locus*, QUEM ADDUXIT GRAMMATICUS: « Deinde, si quis haud fraudulenter consideret, multa et ex humana parte loquitur Dominus. Nam illud: « Da mihi bibere [2] », vox est corpoream indigentiam explentis, etsi is, qui petebat, non caro erat inanimata, sed divinitas carne animata utens. Ita ergo, si quis ignorantiam de eo, qui proficiebat sapientia et gratia apud Deum et apud homines [3], * accipiat, extra rectam sententiam non feretur [4]. »

* p. 119.

Illos tres locos, qui tempora discernunt, *scilicet tempus* ante inhumanationem et *tempus* inhumanationis, non autem Verbum incarnatum in duas naturas dividunt, ex ignorantia iste miser apponit, et ipsa impietatis obscuritate contenebratur. Cum enim iniqui Ariani ad tempus anterius, in quo non incarnatum erat Verbum, ea referrent quae in fine temporum, cum incarnatum est, oeconomice locutum et passum est, Basilius, rerum divinarum peritus, illud saeculis antiquius ex Deo Patre Verbum secum ipso conferens, prius non incarnatum et postea incarnatum, dixit: Illud: « Dominus creavit me », et illud: « Subicietur Patri », et dictum: « Nescit diem neque horam consummationis », nolite ad Verbum non incarnatum referre, o blasphematores; illa autem imputetis ipsi incarnato propter redemptionem nostram. Nam creatus est secundum carnem, corpus creatum et anima menteque praeditum sibi hypostatice uniendo is, qui secundum quod Deus est, increatus est et ante saecula. Postquam enim inhumanatus est, eum subiectum iri Patri scriptum est; in die iudicii nos ostendet subiectos fuisse praeceptis evangelii, nostramque subiectionem humanitus suam faciet, quia eum, qui iam homo factus est, subici non dedecet, idque cum secundum substantiam Dominus sit omnium atque cum Deo et Patre regnet.

Ita igitur ipsam quoque ignorantiae passionem ad illum tanquam iam inhumanatum refer, etsi idem tanquam Deus omnia

[1] *P. Gr.*, XXXII, 876. — [2] IOH., IV, 7. — [3] Cfr LUC., II, 52. — [4] *P. Gr.*, XXXII, 877.

cognoscit. Ipse enim etiam profecisse dicitur et statura et sapientia et gratia, cum tempore et profectu staturae * corporalis congruenter ostendens divinitatem suam, non autem tanquam adauctam habens sapientiam et gratiam et ex non plenitudine ad plenitudinem deveniens. Quid enim plenius esset quam substantialis Sapientia, ex qua omnis rationalis creatura sapiens efficitur? Ipse quoque, cum apud Samaritanam sitis passionem suscepit, vocem explentem corporalem indigentiam dedit, dicens: « Da mihi bibere »: neque enim inanimata caro erat, neque homo seorsum, sed divinitas animato corpore utebatur.

* p. 120.

Itaque evidens est quod magnus Basilius illud secum ipso confert, secundum imaginationem et contemplationem, Unigenitum Verbum, prius non incarnatum et postea incarnatum, unum idemque exsistens, ne ii, qui Arii et Eunomii *sententiis* furunt, ad Esse eius saeculis anterius et ad incorporalem eius conditionem referant humilia inhumanationis eius, ad minuendam substantiam divinam. Illud enim inhumanatum non dissecat *Basilius*, sed ipsum novit Verbum incarnatum, quod voluntarie omnia humilia passum est atque pertulit: sic namque et Petrus dixit: « Christo igitur passo pro nobis carne », ita ut intelligamus Dei Verbum incarnatum et quod servi formam assumpsit, non carnis adhuc expers naturaque simplex, sed corpori passibili naturaliter unitum. Oportet enim naturam quoque non incarnatam et incarnatam reputemus, eamque temporum comparatione discernamus.

Quomodo igitur haec mala quadam arte aut indocte afferre audent isti anthropolatrae et impii, et temporum distinctionem in divisionem oeconomiae et indissolubilis incarnationis mutare, atque dividere Emmanuelem duplicitate naturarum, post * ineffabilem unionem, quae a se mutuo tandem dimoventur? Ecce enim sanctus Basilius eum, qui petiit et vocem protulit explentem corporalem indigentiam, dicendo: « Da mihi bibere », dixit esse divinitatem carne animata utentem, servans humanitati quod non sit abscissa *a divinitate* Deumque cognoscens incarnatum eum, qui sitis passionem voluntarie suscepit: unitus enim erat hypostatice corpori animato, quod sitire poterat, cum ipse sit excelsior omni passione. Leo autem ab indigentia corporali et a *voce*, quam dixit *Christus*: « Da mihi bibere », remo-

* p. 121.

vet Deum Verbum, eamque homini tribuit, dicens: LEO: « Esurire enim et sitire et lassescere et dormire, certissime hominis est.[1] »

Illos autem locos sapientis Basilii in iis quoque, quae iam antea considerata sunt, in medium protuli[2], et fuse ostendi quomodo sint reprehensiones erroris diphysitici; sed et huc necessario accedunt, quia Grammaticus, nobis Patrum testimonia minatus, ex his etiam quaedam tanquam se valide adiuvantia avulsit. Adiungit etiam hunc *locum*, qui reperitur in oratione de gratiarum actione: BASILII *locus*, QUEM ADDUXIT GRAMMATICUS: « Quamobrem, deflendo amicum suum, ipse ostendit communionem naturae humanae, nosque ab excessu in utramque partem liberavit, neque nos ad dolores remissiores esse permittens, neque molestiis insensibiles. Quemadmodum igitur Dominus famem sustinuit solido cibo digesto, et sitim pertulit humore corporis consumpto, et fatigatus est musculis ac nervis ex * itinere deficientibus, non succumbente labori divinitate sed corpore accidentia, quae ex natura sequuntur, sustinente: sic et lacrymam admisit, naturale accidens in carne sua fieri sinens fieri[3]. »

* p. 122.

Et istae rursus voces impietatem redarguunt. Ostendunt enim Deum incarnatum re vera eum esse, qui flebat super amicum suum mortuum, cum lacrymae et passionis exinde *apparentis* capax non fuisset, nisi naturae humanae idque pati valentis particeps fuisset is, qui sine ulla nobiscum participatione et mixtione se habet secundum substantiam, qua Deus est. Flevit ergo et fatigatus est ex itinere et esurivit et sitivit quatenus incarnatus naturalia accidentia voluntarie suscepit, et ut Deus, impassibilis et insuperabilis permansit. Ideo enim Doctor, utpote loquens de Deo qui voluntarie et per oeconomiam illa pertulit, dixit: « esuriem sustinuit » et « lacrymam sustinuit » et « accidens naturale fieri sivit »; sed et ante istum locum manifestissime significavit eum, qui divinitus Lazarum erat suscitaturus, eundem humanitus flevisse, — neque aliam naturam dicit flevisse, aliam autem eum, qui iacebat, suscitasse, — et eruditionis, non passionis causa, lacrymas fusas esse. Dixit enim sic: BASILIUS:

[1] *P. Lat.*, LIV, 769. — [2] Cfr v. gr. supra, t. I, p. 78. — [3] *P. Gr.*, XXXI, 228.

« Quod autem Domini lacrymae non ex passione acciderint, sed eruditionis causa, ex illo manifestum est: « Lazarus amicus noster dormit, sed vado ut a somno excitem eum[1]. » Quis nostrum deflet amicum dormientem, quem paulo post sperat extrum pergefactum iri? « Lazare, veni foras[2] », et mortuus ad vitam revocabatur et alligatus ambulabat. Miraculum in miraculo: * institis pedes ligabantur, et a motu non prohibebantur, siquidem quod confortabat maius erat eo, quod impediebat. Quomodo igitur is, qui talia facturus erat, lacrymis dignum aestimabat id, quod acciderat? At evidens est eum, infirmitatem nostram undique fulcientem, intra modos quosdam et terminos continuisse necessarias passiones, ab apathia quidem, ut quae ferina sit, se avertens, maeroris autem affectationem et luctus assiduitatem tanquam illiberalem recusans[3]. »

* p. 123.

His autem contraria aperte scripsit mirificus Leo: LEO: « Non eiusdem naturae est flere miserationis affectu amicum mortuum, et eundem ad vitam rediturum, disperso aggere *superiecto* super sepulcrum, a quatriduana sepultura ad vocis imperium excitare[4]. » Non ergo is, qui naturam nostram participavit, lacrymas admisit, sicut dixit sapiens Basilius, sed natura humana lacrymas fudit ex defectu roboris, lacrymas propter passionem *tantum* non autem simul et ad eruditionem *nostram fusas*. Et merito flevit *natura humana* super eum, quem non erat suscitatura, nam alterius, id est, divinae naturae, erat suscitare iacentem. Ubi ergo sunt Basilii voces, in quibus id, quod Deum decet, simulque individua oeconomia invenitur? Dixit eum lacrymas sustinuisse, famem sustinuisse, naturalia accidentia in carne fieri sivisse, lacrymas non ex passione sed ad eruditionem *nostram fluentes* sustinuisse: non enim deflevisset eum, quem suscitaturus erat, nisi voluisset modum luctus mortuorum docere. Iam enim supra, praeter ea, quae apposita sunt, dixerat etiam haec alia: BASILIUS: « Ad id vero, quod fleverit Dominus super Lazarum et super civitatem, illud * dicere habemus, ipsum et comedisse et bibisse, non propterea quod ipse his indigebat, sed ut tibi modos ac fines necessariarum animae passionum relinqueret. Itaque sic etiam flevit, nimiam animi mollitiem ac de-

* p. 124.

[1] IOH., XI, 11: — [2] *Ibid.*, 43. — [3] *P. Gr.*, XXXI, 228. — [4] *P. Lat.*, LIV, 769.

missionem dolore oppressorum et multum lugentium corrigens; nam si quid aliud, praesertim fletus indiget moderamine rationis: super quosnam fiat, et quantus et quando et quomodo par fuerit[1]. » Ipse ergo non indigus neque passibilis comedit et bibit et lacrymatus est, immutabiliter manens in eo, quod erat, et factus homo, qui comedere et bibere et flere valeat. Comedit et bibit et lacrymatus est, non quasi ex passione, sed ad eruditionem *nostram,* illud quidem *faciens* oeconomiae suae veritatem et non phantasiam docendo, hoc autem nobis necessariarum animae passionum modos et fines designando.

Inanem igitur operam impendit Grammaticus, cum iis, qui similia placitis eius simul sentiunt, excerpendo inspiratas illas voces, quae impietatem eius patefaciunt. Qui hunc quoque locum, post alios, apposuit ex prima oratione Antirrheticorum adversus Eunomium: Basilii *locus,* quem adducit Grammaticus: « Ego enim etiam illud: « in forma Dei exsistens » idem valere dico quod hoc: « in substantia Dei exsistens ». Sicut enim illud: « formam servi accepit Dominus noster » significat eum in substantia humanitatis factum esse, ita etiam dicendo: « in forma Dei exsistens », proprietatem divinae substantiae exhibet[2]. »

Et quis est, qui non confitebitur *sequentia*: Verbum Dei, quod ipsam *veritatem* substantiae[3] Patris sui, non peregrinam aut alienam *substantiam* nactum est, Ipsum ex nostra substantia corpus suum anima menteque praeditum, non alienum aut alterius generis *corpus,* assumpsit, sibique hypostatice univit. Sed unus ex duobus est Dominus * et Filius et Christus, qui per proprietatem et diversitatem secundum differentiam qualitatis naturalis eorum, quae congregata sunt in unum, non dividitur in duo post inexplicabilem unionem, sicut et homo nostri similis *unus* ex anima et corpore *est.* Clamat enim ad nos sapiens Cyrillus: Cyrillus: « Diversae quidem speciei sunt illa, et minime inter se consubstantialia; attamen, cum unita sunt, unam hominis naturam absolvunt, quamvis adsit in compositionis rationibus differentia secundum naturam eorum quae in unitatem fuerunt congregata[4].» Et in tomo secundo adversus blasphemias Nestorii: Cyrillus: « Alia enim est a Deo Verbo caro secundum propriae

* p. 125.

[1] *P. Gr.*, XXXI, 228. — [2] *P. Gr.*, XXIX, 552. — [3] τὸ τῆς οὐσίας. — [4] *P. Gr.*, LXXVII, 241.

naturae rationem, aliaque rursus secundum substantiam ipsius Verbi natura. Sed quamvis intelligantur differentia et naturali diversitate seiuncta ea, quae dicta sunt, unus tamen ex utroque intelligitur Christus secundum unionem veram, unitis inter se divinitate et humanitate[1]. »

CAPUT TRICESIMUM ALTERUM

Loci Gregorii, episcopi nysseni, similiter redarguentes impietatem eorum, qui illos adducunt, eiusque, qui illos exscripsit, atque rectae sententiae vim ostendentes.

Deinde sancti Gregorii, fratris magni Basilii, locum apponit, qui reperitur in oratione quarta operis de beatitudinibus, ubi locutus est de illo: « Beati qui esuriunt et sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur[2] »: Gregorii nysseni *locus,* quem adduxit Grammaticus: « ... sed concupiscibilem naturae motum * ad cibum admisit. Cum enim quadraginta dies ieiunus permansisset, postea esuriit: dabat enim, quando volebat, naturae occasionem sua operandi[3]. »

* p. 126.

Omnibus intelligentia praeditis notum est esuriem esse naturalem passionem in nobis ex necessario appetitu productam, quatenus natura hoc ita comparatum est, ut cibo sustentaremur. Hanc ergo necessariam vim appetitus atque cibi aviditatem Doctor naturam vocat: quae, ut dixi, in nobis absque voluntate nostra passionem operatur. Ipsa esuriem producit et, ut ita dicam, nos etiam invitos cogit ad cibum capiendum. Christus autem, incarnatum Dei Verbum, qui ad communicandum naturae nostrae misericordia se demisit et nobiscum iisdem passionibus communicavit, voluntarie actionem eius *naturae,* quando voluit, admisit et esuriei passionem suscepit. At Grammaticus, istud naturae humanae singillatim tribuere volens, locum ex contexta oratione decerpsit, simulque deceptus est eo quod Doctor dixit naturam sua propria operatam esse: id ipsum sibi auxilio futurum esse putavit ad demonstrandum utramque naturam sua propria seorsum ac singillatim operari. At indoctum fefellit naturam hic vocari necessarium appetitum et avi-

[1] *P. Gr.*, LXXVI, 61. — [2] Matth., v, 6. — [3] *P. Gr.*, XLIV, 1237.

ditatem cibi, cuius incarnatum individuumque Dei Verbum actionem admisit quando voluit: esuriei quoque passionem, sicut et ceteras *passiones* a peccato immunes, carne voluntarie passum est. Porro sententiae a loco abscissae hae sunt: GREGORIUS NYSSENUS: « Qui per omnia absque peccato nobis communicavit atque nobiscum participavit iisdem passionibus, esuriem non iudicavit esse * peccatum, neque passionis eius experimentum a se reiecit, sed concupiscibilem naturae motum ad cibum admisit. Cum enim quadraginta dies ieiunus permansisset, postea esuriit: dabat enim, quando volebat, naturae occasionem sua operandi [1].» Veritatis quidem doctor Gregorius eum, qui misericordia nobiscum per omnia absque peccato communicavit et ad tantam exinanitionem se demisit, esuriei passionem admisisse dicit; Leo autem homini id ipsum tribuit, dicens: LEO: « Esurire enim et sitire et lassescere evidenter hominis est [2]. » Quae, cum omnibus sanctorum Patrum vocibus opponantur, undique confutationes accipiunt, et ostendunt quomodo Grammaticus, ignorantia excaecatus, adversus semetipsum testimonia protulerit.

Adiungit hunc quoque locum, qui in oratione catechetica Gregorii reperitur: GREGORII *locus*, QUEM APPOSUIT GRAMMATICUS: « Quomodo excelsum in humili factum est, et in humili cernitur, et a celsitudine sua non decidit; quomodo divinitas humanae naturae implicata, et hoc facta est et illud est [3]. » Huius quoque testimonii evidens est sensus Deo dignus. Etenim Verbum unigenitum et saeculis antiquius factum est homo estque quidquid erat, id est, Deus, idem: non enim semetipsum mutavit, mutando id, quod erat, in id, quod oeconomiae causa factum est. Avide autem errat Grammaticus, et audiens « hoc » et « illud », putat se posse exinde causam desumere ad hoc ut duas post unionem naturas dicat; et ignorat iste ineruditus Doctorem, dicendo: « quomodo divinitas humanae naturae implicata, et hoc facta est, et illud * est », abstulisse sectionem in duo: qui enim implicatus est, unus ex duobus est, non duo.

Testis etiam huius *assertionis* atque diligens interpres est sapiens Cyrillus qui, in oratione prosphonetica ad piissimum imperatorem Theodosium, scripsit sic: CYRILLUS: « Non alie-

[1] *P. Gr.*, XLIV, 1236. — [2] *P. Lat.*, LIV, 769. — [3] *P. Gr.*, XLV, 64.

num autem ab eo est, id quod assumptum est, sed vere illius proprium censetur; quapropter unum est cum ipso. Quemadmodum etiam quoad hominis compositionem animadverti potest: implicatur enim ex rebus natura inter se dissimilibus, scilicet ex anima et corpore; unus tamen homo intelligitur utrumque simul [1]. » ET POST ALIA: « Nullo autem modo gravabor id, quod iam antea dixi, revolvendo dicere: Christus Iesus non Verbum ex Deo nudum seorsum intelligitur, sed cum humanitatem assumpsit et carni implicatum est [2]. » Adducit autem, in iis quae ad Reginas scripsit [3], sanctum Iohannem constantinopolitanum haec dicentem: « Hodie, qui est, gignitur, et qui erat, fit id quod non erat: nam cum Deus esset, homo factus est quin decideret ab eo quod sit Deus. Non enim mutatione divinitatis factus est homo, neque secundum progressum ex homine factus est Deus; sed Verbum exsistens, immutabili manente natura sua propter impassibilitatem, factum est caro [4]. »

Non enim, propterea quod unio ex duobus aut ex pluribus habetur, ideo unum illud in ea, ex quibus compactum est, dividitur; manet enim unio * indissolubilis; idque etiam rerum divinarum peritissimus Gregorius, in ipsa oratione catechetica, antea dixit sic: GREGORIUS NYSSENUS: « Deum autem dicimus in utroque motu naturae nostrae fuisse, per quem anima cum corpore concurrit et corpus ab anima secernitur; commixtum autem cum utroque, cum sensili, inquam, et intelligenti in composito humano per ineffabilem et inexplicabilem illam contemperationem, hoc providisse *Deum, scilicet* quod eorum, quae semel unita essent, animae, inquam, et corporis, in sempiternum permaneret unio. Cum enim natura nostra per propriam consequentiam in illo etiam mota esset ad separationem corporis et animae, iterum ea, quae secreta fuerant, coniunxit per quoddam veluti glutinum, per divinam, inquam, virtutem, ad ineffabilem unionem id, quod desectum fuerat, adaptans. Et hoc est resurrectio: eorum, quae coniugata fuerant, reditus, post dissolutionem, in indissolubilem unionem, iis invicem coalescentibus [5]. »

Illum ergo, qui ineffabiliter et inconfuse ex duobus coa-

[1] τὸ συναμφότερον. *P. Gr.*, LXXVI, 1169. — [2] *Ibid.*, 1185. — [3] *Ibid.*, 1216. — [4] *P. Gr.*, LVI, 385. — [5] ἀλλήλοις συμφυομένων. *P. Gr.*, XLV, 52.

luit insolubiliter unitis, quomodo post unionem audeat quis duos dicere? Grammaticus autem, propterea quod Emmanuel, cum aeterno Deus sit, in fine temporum homo factus est, et illud immutabiliter mansit et id idem vere factus est, putat oportere illum dicat *esse* duas naturas post unionem. Itaque si 5 id, quod illud dicamus, etiam dualitatem inducit: duo separatim et singillatim sunt homo et Deus. At repellit hanc * impietatem coalitus [1] et insolubilitas unionis, quae unum ex duobus, divinitate et humanitate, Christum absolvit, unamque naturam Verbi incarnatam, ita ut idem sit indivise Deus et homo, 10 hominis nostri similis instar, rationabilis et mortalis, quique una ex utroque natura est, et id et illud sine sectione dicitur. At vero *Grammaticus,* aprorum sylvestrium ferocissimorum instar, eodem impietatis impetu *correptus,* dentes ineruditionis acuit et ad victimam rediit, atque alium locum ex ipsa oratione 15 catechetica adversus semetipsum apponit, qui se habet sic: GREGORII NYSSENI *locus,* QUEM ADDUXIT GRAMMATICUS: « Neque quidquam est, quod non tale sit, in quo non prorsus appareat mixtio divini cum humano; cum vox quidem aut actio humanitus procedat, id autem, quod secundum occultum intelligitur, divinum 20 ostendat, consequens fuerit etiam in hac parte non unum quidem aspicere, alterum autem despicere, sed in morte quidem humanum considerare, in modo autem huius *mortis* divinum investigare [2]. »

* p. 130.

Et quis est, qui non dicat his proclamari individuitatem oeco- 25 nomiae atque detegi sectionem duplicitatis formarum et naturarum post unionem? Ecce enim Deus inhumanatus, cum humana lingua locutus est, atque humana et clara voce leproso dixit: « Volo, mundare [3] », per efficientiam secundum Deo dignam mixtionem ostendit hanc *vocem* velut ab inhumanato Deo 30 processisse: concurrit enim auditioni verborum mundatio leprosi. Neque dixit Doctor humanam quidem naturam locutam esse, divinam autem naturam operatam esse miraculum, sed cum divino mixtam fuisse vocem, quae humanitus emissa est. Apparuit enim et ipsa * perficiens efficientiam Deo dignam, quem- 35 admodum et in morte, quam Christus humanitus sustinuit, mis-

* p. 131.

[1] σύμφυσις. — [2] *P. Gr.,* XLV, 80. — [3] MATTH., VIII, 3.

cebatur id, quod Deum decebat: voluntarie enim mortuus est, et semetipsum suscitavit, atque humanitus carne passus, ut Deum decet idem resurrectionem operatus est. Sic etiam cum humanitus interrogavisset: « Ubi posuistis Lazarum [1] », idem, ut 5 Deum decet, iacentem suscitavit.

Ne ergo, inquam, dicat quis id, quod humanum in morte habetur, illud autem, quod Deo dignum in modo *mortis invenitur,* reticeat; neque voces humanitus dictas in medium proferat, divinam autem efficientiam illis commixtam et coniunctam prae- 10 termittat, cum omnes tum efficientiae, tum voces, divinae atque humanae, unius eiusdemque sint Dei incarnati, non vero dividantur duabus naturis et formis operantibus et loquentibus divise sua propria, sibique ea, quae invicem sunt, per relationem adaptantibus et, ut dixit Tomus Leonis, communicantibus 15 gloriam et opprobium: LEO: « Agit enim utraque forma cum alterius communione quod proprium est, Verbo quidem operante quod Verbi est, corpore autem exequente quae corporis sunt. Et unum horum coruscat miraculis, aliud autem succumbit iniuriis [2]. » ET ITERUM: « Non eiusdem naturae est flere mi- 20 serationis affectu amicum mortuum et eundem, *quem* vivificaturus erat, disperso aggere *superiecto* super tumulum, a quatriduana sepultura ad vocis imperium excitare [3]. » RURSUSQUE: « Quamvis enim in Domino nostro Iesu Christo Dei et hominis * una persona sit, aliud tamen est unde in utroque communis 25 est contumelia et aliud unde communis est gloria [4]. »

* p. 132.

Ubinam igitur sunt istae impietates concordes cum apposito capitulo sancti Gregorii? Ecce enim *Gregorius* quidem in verbis et operationibus Dei Verbi incarnati insecabiliter mixtum esse dicit divinum et humanum, idque non esse dividendum, 30 neque humanum quidem dicendum esse, veluti ad eversionem magni mysterii, divinum autem reticendum; Leo autem duabus naturis et formis dividit voces et actiones, uni quidem divinas *tribuens,* alteri autem humanas.

Consona vero *verbis* sapientis Gregorii videre licet homony- 35 mum eius Theologum, in oratione de Epiphania, scribentem sic: GREGORIUS NAZIANZENUS: « Quandoquidem etiam traditus dici-

[1] Cfr IOH., XI, 34. — [2] *P. Lat.,* LIV, 767. — [3] *Ibid.,* 769. — [4] *Ibid.*

tur, sed et seipsum tradidisse scribitur; atque suscitatus a Patre et elevatus, sed et seipsum suscitavisse et rursus ascendisse *praedicatur:* illa beneplaciti *sunt,* haec potestatis. Tu vero ea quidem, quae *eum* minuunt, dicis, ea autem, quae *eum* efferunt, praetermittis; eum passum esse consideras, sed quod sponte *passus est,* non adiungis [1]. »

Similiter sanctus quoque Athanasius, in epistula ad Eusebium et Luciferum et ceteros: ATHANASIUS: « Quamobrem neque alius erat Filius Dei, qui ante Abraham, et alius, qui post Abraham; neque alius quidem erat, qui suscitavit Lazarum, alius autem, qui de illo interrogabat, sed idem erat, qui humanitus quidem dicebat: « Ubi positus est Lazarus? [2] », divinitus autem illum suscitabat *. Idem autem erat, qui corporaliter quidem ut homo spuebat, divinitus vero ut Filius aperiebat oculos caeci e sinu matris suae. Et carne quidem patiebatur, ut dixit Petrus [3], divinitus autem aperiebat monumenta mortuosque suscitabat. Unde omnia, quae in evangelio *habentur,* hac ratione intelligentes, idem se sentire de incarnatione et inhumanatione Dei Verbi manifeste confirmarunt [4]. » Sapiens autem Cyrillus, in libro quinto commentarii evangelii Matthaei, his similia scripsit: CYRILLUS: « Ideo enim et cum mundaret leprosum, non offerebat orationem, neque dixit: « Velit Pater meus, et mundaberis », sed tanquam habens in se paternam potestatem et gloriam maiestatis Genitoris sui, proprio nutui annectebat mundationem. Postquam autem largitus est nutum ex benigna sua voluntate, tactum manu addit et utiliter tribuit, ut discamus mundationis operatorium sanctum quoque suum corpus esse et divina voluntate utiliter coassumi velut ad sanctificationem nostram [5]. » RURSUSQUE, IN LIBRO OCTAVO: « Itaque, non opus ignorantiae est interrogatio, sed species humana verbi, quemadmodum etiam *factum* est quoad illos caecos, qui sedebant secus viam. Illi enim supplicantes clamabant: « Miserere nostri, Domine, fili David [6] »; ipse autem, quamvis omnia divinitus sciret, contexuit praetextum interrogationis propter humanitatem suam. Interrogabat enim Iesus: « Quid vultis ut fa-

* p. 133.

[1] *P. Gr.,* XXXVI, 328. — [2] Cfr IOH., XI, 34. — [3] Cfr I PETR., IV, 1. — [4] *P. Gr.,* XXVI, 804. — [5] Locum non repperi. — [6] MATTH., XX, 30.

ciam vobis [1]? ». Rursus omnino oeconomice: haec secundum nos Salvator noster interdum loquebatur; nec enim incommixtam et veluti * nudam semper nobis ostendebat gloriam divinitatis, sed opportune etiam parvitatem humanitati congruentem praeferebat. [2] »

* p. 134.

CAPUT TRICESIMUM TERTIUM

Loci Athanasii similiter redarguentes impietatem eorum, qui illos adducunt eiusque, qui illos exscripsit, atque rectae sententiae, quae in ipsis *habetur,* vim ostendentes. Confutatio quoque fictionis, et investigatio de eo, quod a dextris Patris sedeat Filius, et de subiectione eius, et de eo, quod dixit Doctor carnem esse deiferam et organum Verbi. Et quod solent doctores multis in locis « humanitatem » dicere inhumanationem Christi, id est, Verbum inhumanatum, non autem *Verbum* extra carnem intellectum, quatenus erat et est Deus. Et quod sub singulari nomine « hominis » saepe totum hominum genus intelligitur.

Postea, eadem ineruditione laborans et in semetipsum, ut antea diximus, convertens gladium, ponit locum sancti Athanasii de eo, quod humana velut ad deiciendam Christi divinitatem non sint adducenda. ATHANASII *locus,* QUEM ADDUXIT GRAMMATICUS: « Amen, amen dico vobis: antequam Abraham fieret, ego sum [3]. Cum autem haec clara sint, manifesta impudentia est non duplici modo intelligere Christum, divinitus et humanitus [4]. » Iste ergo, ex impio errore suo eversus, putavit se *posse,* ope huius *vocis:* « Christus duplici modo intelligitur », illum dissecare duplicitate naturarum post unionem. Sanctus Athanasius vero * suo dicto manifeste explicat quid sit duplici modo intelligere Christum, quia cum semper Deus esset, postea propter nos factus est homo, neque propterea quod incarnatus et inhumanatus est, in duas naturas dividitur. Etenim, in oratione tertia scripti adversus Arianos, scripsit sic: ATHANASIUS: « Scopus igitur et character divinae Scripturae, ut saepe diximus, hic est, ut duplex sit in ipsa praedicatio de Salvatore nostro: quod *scilicet* semper Deus erat, et est Filius, *et*

* p. 135.

[1] MATTH., XX, 32. — [2] Locum non repperi. — [3] IOH., VIII, 58. — [4] *P. Gr.,* XXVI, 1325.

Verbum est et splendor et sapientia Patris, et quod in fine propter nos, assumendo carnem ex Virgine Dei genetrice Maria, homo factus est [1]. »

Omnia vero, quae tempore inhumanationis a Salvatore nostro facta vel dicta sunt, sive actiones sive sermones, non uniformitatem obtinent, sed diversa sunt; evidens autem est tum Deo digna tum humana ab uno eodemque facta atque dicta esse, non autem dividi duabus naturis et formis. Quod sanctus Cyrillus dicit ad iniquum Theodoretum, in defensione quarti anathematismi, sic: CYRILLUS: « Melius dixerim et longe eruditius esse humanas voces referre non ad alteram personam magis, quae intelligitur singillatim et seorsum Filius, ad formam servi, sicut illi dicere solent, sed illas potius tribuere mensuris humanitatis eius. Oportebat enim eum, qui simul Deus et homo est, per utrumque sermonem procedere [2]. » RURSUSQUE, IN DEFENSIONE ANATHEMATISMI DECIMI: « Qui enim hoc ipsum fieri secundum nos non aspernatus est, cur respueret ea, ex quibus videri poterat vere propter nos secundum nos factus? Cum ergo ab humanis eum removerimus, * tum factis tum verbis, nullo etiam modo discernemur ab iis qui, si quidem fieri posset, ut ita dicam eum etiam carne exuunt et Scripturae inspiratae non credunt, sed prorsus evertunt inhumanationis mysterium, mundi salutem, spem, fidem, resurrectionem [3]. »

Itaque ille unus idemque Deus inhumanatus duplici diversoque modo intelligitur, quandoque quidem divinitus, quandoque vero humanitus, et oeconomice agit et patitur et loquitur, neque dissecatur, post unionem, dualitate naturarum *sibi* dividentium sermones et actiones. Quia vero semel statuit egregius iste Grammaticus cum iis, quos increpat Isaias propheta, dicere: « Posuimus mendacium spem nostram, et mendacio protegemur [4] », et invenit, ut iam dixi, collectionem alienorum excerptorum, quae tanquam stercus variis ex locis eversa sunt, eo porcorum instar se implet, quin tandem investigaverit, legerit et didicerit undenam unumquodque excerptum colligatur; — fortasse enim, etsi hebes, devenisset ad perceptionem ingentis im-

[1] *P. Gr.*, XXVI, 385. — [2] *P. Gr.*, LXXVI, 413. — [3] *Ibid.*, 441. — [4] ISAI., XXVIII, 15.

pietatis suae; — secus autem, quomodo ex oratione aliena et falsiloqua doctori veritatis Athanasio imputavisset locum, quem ex oratione dogmatica esse scripsit, in quo *legitur* sic: GRAMMATICUS: « Omnes sermones humiles atque viles actiones de corpore Christi scriptas esse intellige; omnes autem actiones praeclaras, de divinitate Verbi. Cum esuriit, postquam ieiunavit, corporis infirmitas *fuit*; cum autem ex quinque panibus quinque milia hominum absque * pueris et mulieribus pascit, et duodecim fragmentorum cophini supersunt, divinitatis Filii est opus. Cum super cervical in navicula dormit, allevationis corporis est opus; cum super mare ambulans minatur spiritibus et ventis: « Tace, obmutesce », statim audit eos, qui in navicula erant, cum iuramento confitentes: « Vere Filius Dei es [1]. »

Iam vero hanc ipsam orationem, quam bonus iste Grammaticus « dogmaticam » inscriptam esse posuit, « de fide » inscripsit Macedonius, qui fuit antistes regiae civitatis: qui huiusmodi librum locorum corruptorum composuit, cum iis, qui eandem ac ipse impietatem sectabantur; et multa testimonia ex hac conficta oratione dogmatica *desumpta* sparsit in aliis genuinis orationibus sancti Athanasii, eaque apposuit et ex illis *genuinis orationibus* ea esse *deprompta* titulis indicavit, ut censeretur tam nominatus Doctor in multis diversisque orationibus ista abominanda atque anthropolatriae faetorem spirantia verba protulisse. Et praedictum Macedonii librum prae manu habeo, redarguentem fraudulentum scriptum impietatis. Nam ex ea oratione, quae « dogmatica » vocatur, adducam pauca quaedam verba, quibus manifeste agnoscetur a recta Athanasii sententia eam esse alienam. Narravit enim is, qui eam finxit, de Apostolo haec: EX FICTA ORATIONE, QUAM ATHANASIO ADSCRIPSERUNT DIPHYSITAE: « Ab antiquis enim eruditus, quia legisperitus erat, cum parabolas Salomonis scrutatus esset et duas personas de Domino invenisset, unam quidem hominem ex Maria, quem propter nos assumpturus erat, alteram autem Verbum ante saecula aeterne * ex Patre genitum, de Iesu, qui ex Maria, scribit ad Timotheum: « Memor esto Iesum Christum resurrexisse a mortuis, ex semine David secundum carnem [2] »; sed

[1] *P. Gr.*, XXVI, 1277. — [2] II *Tim.*, II, 8.

de Deo Verbo, qui semper cum Patre *est,* dixit eum esse ante omnia [1]. »

Possemus autem ista defendere atque dicere scriptorem, distinguendo tempora, *scilicet tempus* ante incarnationem et *tempus* post incarnationem, et secum conferendo Christum, ante saecula quidem carnis expertem, in fine autem temporum incarnatum, haec dixisse, ne athei Ariani illud: « Dominus creavit me », quod incarnationi congruit, — siquidem creatus est propter nos Salvator noster, cum homo factus est, — ad esse eius saeculis antiquius divinum referrent: hoc enim diximus iam in antea consideratis, itemque *diximus* sanctum Basilium, in *scriptis suis* adversus Eunomium, et sapientem Cyrillum, in orationibus de Trinitate ad Hermiam, illam, quam temporalis comparatio assequitur, diprosopiticam speciem adversus Arii insaniam induxisse. At Basilius quidem atque Cyrillus unum eundemque dixerunt Christum, prius carnis expertem et postea incarnatum, cogitatione tantum differentiam temporum discernentes, indiscissumque Emmanuelem servantes; ille autem, qui hanc orationem dogmaticam confinxit, iis, qui « eundem » dicunt, adversatur, quia duos filios manifeste inducit.

Apponam autem Doctorum et istius verba. Itaque sanctus Basilius, in oratione syllogismorum adversus Eunomium scripsit sic, — quae iam supra [2] fuse considerata sunt: Basilius: « Si Dei Filius erat, qui dicebat: « Dominus creavit me »*, potius dixisset: « Pater creavit me ». Nusquam enim ipsum Dominum suum vocabat, sed semper Patrem *eum* vocabat. Assumatur proinde illud quidem « genuit » de Filio Dei, illud vero « creavit me » de eo, qui formam servi assumpsit. Ceterum, in his omnibus non duos dicimus, Deum singillatim et hominem singillatim, — unus enim erat, — sed veluti secundum cogitationem naturam uniuscuiusque consideramus. Neque enim Petrus duos intellexit, ubi dixit: « Christo igitur passo pro nobis carne [3] ». Sapiens autem Cyrillus, in libro quinto scripti ad Hermiam de Trinitate, dixit sic: Cyrillus: « Utrum ergo, — etenim rogabo, — ii sapientes et acuti censeri debeant, qui

* p. 139.

[1] *P. Gr.*, XXVI, 1273. — [2] Cfr supra, p. 85. — [3] *P. Gr.*, XXIX, 703; I Petr., iv, 1.

διφυᾶ et διπρόσωπον in his sermonem admittunt et aptis temporibus mysteriorum explicationem tribuunt, an ii, qui videntur confusionem quandam et permistionem personarum [1] simul ac temporum intelligere [2]?» Et post pauca: « Servantes autem potius Unigenito quod immutabiliter se habeat, eundem illum esse agnoscimus et ante implicationem carnis et cum caro factus est, licet abiectissimum quid et humile de illo dicatur propter humanitatem [3]. »

His autem opposita recitavit iste mirificus, qui confinxit orationem dogmaticam: Ex conficta oratione, quam sancto Athanasio adscripserunt diphysitae: « Iesus autem Christus, secundum humanitatem Salvatoris nostri intellectus, non est idem. Qui enim staturae incrementum accipiebat, modo infans et modo vir exsistens, incipiens quasi annorum triginta, ut dixit Lucas [4], non potest idem dici * per se solum. Verbum, quod ante saecula ex Patre est, idem est semper perfectum ex perfecto. Qui ergo staturae mutationem subiit, homo Christus Iesus, ipse factus est fidelis apostolus atque pontifex ei, qui fecit illum [5]. » Et post alia: « Haec dicentes, apud quosdam se gloriari putant, neque discernunt quaenam persona prophetici spiritus de corpore Domini clamet et quaenam aeternam eius ex Patre generationem doceat, sed unum eundemque confitentur impassibile Verbum et passibilem hominem Iesum [6]. »

* p. 140.

Et haec quidem iste. Peritissimus autem rerum divinarum Athanasius in omnibus suis orationibus scripsit contraria illi impiae sententiae, et unum eundemque novit Dominum et Deum nostrum Iesum Christum. Non tamen eum fugit distinctio temporum, *scilicet temporis* ante incarnationem et *temporis* post incarnationem, neque diprosopitica species, quae in illis habetur, sicut etiam Basilius et Cyrillus, discipuli eius, *illa noverunt*. Scripsit ergo, in prima oratione contra Arianos, haec: Athanasius: « Verum audiant etiam ad interrogationem suam: exsistens Pater exsistentem Filium fecit; nam « Verbum caro factum est [7]», exsistentemque Dei Filium fecit *Pater* in consum-

[1] Cfr supra, p. 23, not. 8. — [2] *P. Gr.*, LXXV, 933. — [3] *Ibid.*, 940. — [4] Luc., iii, 23. — [5] Cfr *P. Gr.*, XXVI, 1272. — [6] Hoc fragmentum, quod in *P. Gr.* non habetur, videas apud E. Schwartz, *Der s. g. Sermo maior de fide des Athanasius*, p. 14-15. — [7] Ioh., i, 14.

matione saeculorum etiam Filium hominis, nisi forsan cum Samosateno dicant eum non exstitisse priusquam fieret homo [1].» ET POST ALIA: « Factus autem homo, dicebat: « Mittam vobis Paracletum, Spiritum veritatis [2] », et *eum* misit, *cum* non sit mendax Verbum Dei. Itaque « Iesus Christus heri et hodie, et idem est et in saecula [3] », immutabilis manens, idemque * est, qui dat et accipit : dans quidem ut Verbum Dei, accipiens autem ut homo. Non utique Verbum ut Verbum in melius proficit, nam omnia habebat et habet; sed homines sunt, qui initium accipiendi in ipso et per ipsum habent. Cum enim ille nunc humanitus dicitur ungi, nos sumus qui in illo ungimur, siquidem illo quoque baptizato, nos sumus qui in illo baptizamur [4]. » RURSUSQUE, POST ALIA: « Dedecet enim confiteri quidem Verbum carnem factum esse, in his autem, quae de eo scripta sunt, erubescere, et ideo sensum eorum corrumpere. Itaque scriptum est eum tanto meliorem angelis effectum esse: id autem primum expendere necesse est; sed oportet atque necesse est, sicut circa totam divinam Scripturam facere convenit, hic quoque fideliter attendere qua occasione locutus sit Apostolus, exemplum quoque et personam, cuius causa scripserit, ne extra illa aut aliud quid illorum, indoctus lector a vera aberret sententia [5] » ET POST PAUCA: « Nam si cognovissent personam et rem et tempus dicti apostolici, non humana ad divinitatem retulissent, neque ad tantam impietatem devenissent isti insani. Id autem perspici potest, si quis lectionis initium assumpserit. Dicit enim Apostolus: « Multis modis olim locutus est Deus cum patribus nostris in prophetis; his autem novissimis diebus locutus est nobis in Filio [6] »; rursusque post pauca dicit eum per seipsum fecisse purgationem peccatorum et sedisse ad dexteram maiestatis, tanto meliorem angelis effectum [7]. Itaque temporis, quo locutus est nobis in Filio, * cum etiam facta est purgatio peccatorum, apostolicum dictum meminit. Quando autem locutus est nobis in Filio, et quando facta est purgatio peccatorum, nisi cum homo factus est [8]? » Itaque Deo Verbo non incarnato

* p. 141. * p. 142.

[1] *P. Gr.*, XXVI, 64. — [2] IOH., XV, 26. — [3] *Hebr.*, XIII, 8. — [4] *P. Gr.*, XXVI, 112. — [5] *Ibid.*, 124. Ultima huius loci sententia vix intelligi potest, nisi conferatur textus graecus: ἵνα μὴ παρὰ ταῦτα ἢ καὶ παρ' ἕτερόν τι τούτων ἀγνοῶν ὁ ἀναγιγνώσκων ἔξω τῆς ἀληθινῆς διανοίας γένηται. — [6] *Hebr.*, I, 1. — [7] Cfr *ibid.*, 3-4. — [8] *P. Gr.*, XXVI, 125.

non imputanda sunt humana, ait Doctor, sed eidem homini facto propter nostram salutem. Unus enim idemque est, non divisus cum temporum distinctione. Sic etiam in secunda oratione haec addit: ATHANASIUS: « Quis ergo, videndo Dominum *ut* hominem ambulantem et *ut* Deum ex operibus demonstratum, non sciscitaretur quisnam illum fecerit hominem? Quis autem vicissim ita interrogatus non responderet Patrem illum fecisse hominem et pontificem ad nos misisse? Atqui huiusmodi sententiam et tempus et personam Apostolus, qui scripsit: « Qui fidelis est ei, qui fecit illum [1] », melius significare valet, si ea, quae antecedunt, accipiamus: una enim series est, et de eodem agitur in hoc *Scripturae* loco [2]. » ET POST ALIA: « Itaque iure merito Apostolus corporeum Verbi adventum enarrans, dixit eum apostolum esse et fidelem ei, qui fecit illum, et ostendit etiam hominem factum Iesum Christum, qui heri et hodie *est* et in saecula, immutabilem esse [3]. » ET POST ALIA: « Ait ergo: Moyses quidem famulus, Christus autem Filius; et ille quidem fidelis in domo, hic autem super domum, utpote qui eam aedificaverit, eiusque dominus et opifex sit et tanquam Deus eam sanctam efficiat [4]. »

Similiter etiam in epistula ad Eusebium et Luciferum scripsit, — quae iam paulo ante [5] apposita habentur: ATHANASIUS: « Cum Filius Dei * vere esset, factus est etiam homo; et cum Unigenitus esset Dei Filius, factus est idem etiam primogenitus in multis fratribus. Quamobrem neque alius erat Filius Dei, qui ante Abraham, alius autem, qui post Abraham; neque alius quidem erat, qui Lazarum suscitavit, alius autem qui de illo interrogabat: sed idem erat, qui humanitus quidem dixit: « Ubi positus est Lazarus? », divinitus autem illum suscitabat. Idem erat, qui corporaliter quidem ut homo spuebat, divinitus vero ut Filius Dei aperiebat oculus caeci e sinu matris suae, et qui carne quidem patiebatur, ut dixit Petrus, divinitus autem aperiebat monumenta mortuosque suscitabat. Unde, omnia etiam, quae in evangelio *habentur,* hac ratione intelligentes, idem se sentire de incarnatione et inhumanatione confirmarunt [6]. »

His similia *scripsit* etiam in oratione de fide, in qua ostendit

* p. 143.

[1] *Hebr.*, III, 2. — [2] *P. Gr.*, XXVI, 164. — [3] *Ibid.*, 168. — [4] *Ibid.* — [5] Cfr supra, p. 96. — [6] *P. Gr.*, XXVI, 804.

unum esse Christum: ATHANASIUS: « Christum enim apostoli, statim atque profecti sunt, Filium Dei consone et consequenter praedicaverunt. Hunc in Bethlehem natum ex semine David secundum carnem, hominibus similem factum, et pro hominibus sub Pontio Pilato crucifixum, ipsum dixerunt Deum, ipsum dixerunt hominem; ipsum Filium Dei, ipsum Filium hominis; ipsum e caelo, ipsum e terra; ipsum impassibilem, ipsum passibilem; non alium et alium, non duas personas, neque hypostases, neque duas adorationes. Quid opus est inquisitione et contentione verborum? Credere expedit atque colere et silentio adorare [1]. » Et in oratione adversus impium Apolinarium * de fide scripsit sic : ATHANASIUS : « Ideo ipse est patiens et non patiens, divina quidem natura immutabilis et inconvertibilis, carne autem passus, sicut Petrus dixit ; qui etiam mortem volens gustavit; quia mediator Dei et hominum factus est: « Mediator autem unius non est, Deus autem unus est [2] ». Quapropter errant qui dicunt alium esse, cui passus est, et alium, qui passus non est: non enim alius quis est praeter Verbum is, qui passionem et mortem sustinuit; sed ipsum impassibile et incorporeum Verbum, cum fieri in carne humana suscepisset, omnia implevit, ut haberet quod offerret [3]. »

* p. 144.

Simili modo et in epistula ad Epictetum dixit: ATHANASIUS: « Quinam autem adeo impudentes facti sunt ut Christum, qui carne passus et crucifixus est, negent esse Dominum et Salvatorem et Deum et Filium Patris? Aut quomodo christiani volunt nuncupari, qui dicunt in hominem sanctum, perinde atque in unum ex prophetis, venisse Verbum, non autem ipsum factum esse hominem, ex Maria corpus assumendo, sed alium esse Christum et alium Dei Filium, qui ante Mariam et ante saecula est Filius Patris [4]? » Rursusque, in libris de incarnatione Verbi, his consona scripsit, — quae etiam protulit sanctus Cyrillus in iis, quae ad impios Theodorum mopsuestenum [5] et Andream samosatenum [6], et ad piissimas Reginas [7] scripsit: ATHANASIUS: « Confitemur etiam eum esse Filium Dei et Deum secundum spiritum, et Filium hominis secundum carnem; non duas naturas unum Filium, unam adorandam et unam non adorandam *, sed unam naturam Dei Verbi incarnatam et una adoratione cum carne Eius adoratam; neque duos filios, alium quidem Dei Filium verum et adorandum, alium autem hominem ex Maria non adorandum, secundum gratiam factum Dei Filium quemadmodum et homines; sed illum, qui ex Deo, ut dixi, *confitemur* unum Dei Filium et Deum, ipsum, non autem alium, etiam ex Maria factum esse secundum carnem in fine dierum [1]. »

[1] *P. Gr.*, XXVIII, 125. — [2] *Galat.*, III, 20. — [3] *P. Gr.*, XXVI, 1112. — [4] *Ibid.*, 1053. — [5] Cfr PUSEY, t. III, p. 516 (syriace tantum). — [6] *P. Gr.*, LXXVI, 349. — [7] *Ibid.*, 1212.

* p. 145.

Haec tanquam pauca ex multis apposui, quae in scriptis celeberrimi Patris et *omnium*, quae sub caelo *sunt*, ecclesiarum doctoris Athanasii, omnibus concorditer fatentibus, reperiuntur: quae manifeste ostendunt remotam alienamque ab eo esse istam confictam orationem, quae dogmatica inscribitur; quae *oratio* non vult eundem esse Christum divinitus ante saecula ex Patre, et postea ex Dei genetrice Virgine Maria secundum carnem natum, eundem impassibilem quatenus Deus *est*, eundem passibilem quatenus pro nobis in fine temporum homo factus est. In qua *oratione* haec quoque habentur: EX CONFICTA ORATIONE, QUAM ATHANASIO ADSCRIPSERUNT DIPHYSITAE: «Corpus itaque Iesu mortuum, e ligno depositum, in monumento etiam depositum et a Ioseph ex Ramatha sepulturae paratum, illud ipsum suscitavit Verbum, dicens: « Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud [2] ». Qui omnes mortuos vivificat, hunc quoque, qui ex Maria, hominem Christum Iesum, quem assumpserat, vivificavit [3]. » ET ITERUM: « Haec autem praemisimus in illud: « Sede a dextris meis [4] », *scilicet* quod de dominico corpore dictum sit. Si enim « caelum et terram ego impleo, dicit Dominus [5] », ut ait Ieremias, omnia autem comprehendit Deus, ipse autem a nullo comprehenditur, in quonam throno sedebit? Corpus igitur * est, cui dicit: « Sede a dextris meis [4] », cui etiam inimicus factus est diabolus cum malignis potestatibus, nec non Iudaei et gentiles; per quod corpus pontifex et apostolus effectus et vocatus est; per quod nobis mysterium tradidit, dicens: « Hoc est corpus meum, quod pro vobis *tradetur*, et hic sanguis

* p. 146.

[1] *P. Gr.*, XXVIII, 25, et LIETZMANN, p. 250. — [2] IOH., II, 19. — [3] *P. Gr.*, XXVI, 1265. — [4] *Psalm.* CIX, 1. — [5] IEREM., XXIII, 24.

testamenti novi, non antiqui, qui pro vobis effundetur[1] »; divinitas autem neque corpus, neque sanguinem habet; sed is, quem ex Maria tulit, homo horum causa factus est[2]. »

Contrariam autem huius malae sententiae doctrinam promptum est videre sapientem Athanasium tenuisse. Etsi enim, iuxta prophetiam Davidis, introducitur omnium Deus et Pater dicens ad Verbum Unigenitum, quod post resurrectionem a mortuis corporeum ascendit in caelum: « Sede a dextris meis », non tamen in throno alieno *Filius* sedit, sed in eo *throno*, in quo iam ante incarnationem ab aeterno cum Patre et Spiritu sedebat; — cum evidens sit thronum intelligi *tanquam* potestatem regni supremique principatus, et sessione a dextris similiter aequalitatem honoris demonstrari: nam nominibus ex corporibus desumptis nobisque solitis divinae Scripturae consuetudo est ut illa significet. Quamvis enim incarnatus Filius etiam circumscriptus factus sit, quatenus homo factus est, incircumscriptus exsistens quatenus idem erat et est Deus, non tamen ideo excogitanda est dextera quaedam pars Dei et Patris incircumscripti, incorporei, a nullo comprehensi, omnia autem comprehendentis atque tenentis. Inimici vero Christi, tum Iudaei, tum Gentiles, et ante illos Calumniator atque daemones, etiam Dei et Patris proculdubio erant etiam inimici: * etenim ad omnipotentem Deum potestates apostatae « verterunt tergum suum », sicut divina Scriptura dicit[3]. Paulus autem, ad Romanos scribens, de iis, qui ex Iudaeis et gentilibus crediderant, dixit: « Si enim, cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii eius, multo magis reconciliati salvi erimus in vita ipsius[4]. » Rursusque, ad Corinthios: « Omnia autem ex Deo, qui nos reconciliavit sibi per Christum[5]. » Itaque, inimici Dei et Patris sunt inimici Christi, neque inimicos quosdam peculiares habebat Christus, sicut impius fictor istius orationis dogmaticae dixit. Etsi enim Christi hostis et impugnator aliquis dicitur, Patris et Filii et Spiritus sancti impugnator est, sicut et vice versa. Et sancto corpori et sanguini communicantes, corpori Dei Verbi ex Dei genetrice Maria incarnati et inhumanati communicamus, non autem simpliciter *corpori* cuiusvis unius ho-

[1] Cfr Luc., xxii, 19-20. — [2] *P. Gr.*, XXVI, 1284. — [3] Ierem., ii, 27. — [4] *Rom.*, v, 10. — [5] II *Cor.*, v, 18.

minis. Et cum corpus suum a mortuis suscitavit Dei Verbum, ut incarnatum dicitur et creditur carne passum et sepultum esse atque surrexisse, non autem alius suscitavit Christum, hominem Iesum ex Maria *natum*, ut ille, qui istam orationem dogmaticam confinxit, scribere ausus est, decenti voce illum *hominem* vocans « corpus », et ita impietatis magnitudinem volens abscondere. Sic etiam Theodorum, qui fuit antistes Mopsuestiae, hac mala arte utentem redarguit sapiens Cyrillus, in iis, quae adversus illum scripsit, hoc modo: Cyrillus: « Sed putavit se sapiens verbum protulisse asserendo corpus, — id est, hominem: forsan enim hoc dicere erubescit, — Filii appellationibus esse decorandum, et ipsum Verbum appellationibus * corporis. Appellationum ergo unio facta est atque merorum nominum coniunctio, veritatem autem mysterium prorsus abdicat[1]! »

Iam vero tempus est ut ea etiam apponamus sancti Athanasii verba, quae, ut diximus, recta quidem dogmata docent, repellunt autem atque procul reiciunt peregrinam illam et mendacem orationem dogmaticam et illa, quae in ea turpiter scribuntur. Itaque, in prima oratione contra Arianos, scripsit haec: Athanasius: « Praestantior autem est gratia quam lex, et veritas quam umbra. Illud autem « κρείττων », sicut dictum est, per alium fieri non poterat, nisi per Filium qui sedet a dextris Patris. Quid autem istud significat, nisi genuinum illum esse Filium[2] atque Patris divinitatem ipsam esse *divinitatem* Filii? Cum enim ipso Patris regno regnet Filius, eodem in throno, quo Pater, sedet; et cum Patris divinitate videatur, Deus est Verbum, atque qui videt Filium, videt Patrem: sicque unus est Deus. Itaque a dextris sedens, sinistrum non reddit Patrem; sed quod dextrum et honorabile est in Patre, hoc ipsum et Filius est; et dicit: « Omnia quaecunque habet Pater, mea sunt[3] ». Ideo enim etiam a dextris Patris sedens Filius videt et ipse Patrem a dextris *suis*, quamvis homo factus *Filius* dixerit: « Providebam Dominum, quoniam a dextris meis semper est[4]. » Rursus enim per hoc apparet Filium in Patre *esse* et Patrem in Filio: dextro enim Patre exsistente, a dextris est Filius; et

[1] Pusey, t. III, p. 517 (syriace tantum). — [2] τὸ γνήσιον τοῦ Υἱοῦ. — [3] Ioh., xvi, 15. — [4] *Psalm.* xv, 8.

Filio a dextris sedente, Pater est in Filio [1]. » Et in epistula ad Maximum philosophum scripsit sic : Athanasius : « Sed semel (* p. 149.) * in fine saeculorum, ad destructionem peccati, Verbum caro factum est et ex Maria Virgine natum est homo, et dicit : « Quid me quaeritis interficere, hominem qui veritatem locutus sum vobis [2] ? » Non autem corpori cuiusvis hominis communicamus, sed ipsius Verbi corpus accipientes dii efficimur [3]. » Similiter et in oratione de fide adversus impiam Apollinarii sententiam dixit : Athanasius : « Nec suffecit illis [4] opinio omni laude maior, audientibus « corpus Dei », iuxta illum, qui dicit : « Qui transformabit corpus humilitatis nostrae, configuratum corpori gloriae suae [5]. »

In altera autem oratione adversus sectatores Apollinarii fraudulenter sentientes de salutari manifestatione Christi, iterum ostendit eos, mentis expertem dicendo carnem eius, ad blasphemiam Arianorum venire, — nam et isti illam *carnem* animae expertem irreligiose confitentur, ut ad nudam perfecteque non inhumanatam divinitatem humanas passiones cum blasphemia referant. Sicut nemo, ait, absque rationali et intelligenti anima tristitiam et dolorem Deo Verbo tribuit, ita neque Dei sanguinem et passionem tradiderunt Scripturae priusquam vere homo factus esset : tunc enim profecto et sanguinem et passionem et mortem praedicant, et optimo quidem iure, tanquam iam incarnati Dei et pro nobis Filii hominis nuncupati, non autem simpliciter cuiusvis hominis singillatim et per se a Deo separati. Haec autem scripsit sic : Athanasius : « Nusquam autem deitas absque corpore patiente passionem admittit, neque perturbationem et dolorem exhibet absque anima (* p. 150.) * dolente et perturbata, neque anxia est et orat absque mente anxia et orante. Licet enim non defectu quodam naturae acciderint ea, quae dicta sunt, attamen ad exsistentiae indicium fiebant ea, quae eveniebant. Quomodo igitur scripsistis : « Deus, qui per carnem passus est et resurrexit » ? Si enim patitur Deus, passibilem dicitis ipsum Patrem passibilemque Paracletum, cum unum

[1] *P. Gr.*, XXVI, 140. — [2] Ioh., viii, 40. — [3] *P. Gr.*, XXVI, 1088. — [4] Vertendum fuisset « vobis » ; quod non animadvertit interpres, quia non reperiebat in testimonio nisi participia ἀρχούμενοι et ἀκούοντες. — [5] *P. Gr.*, XXVI, 1109 ; *Philipp.*, iii, 21.

sit nomen et una divina natura [1]. » Et post alia, rursus : « Nusquam enim sanguinem Dei tradiderunt Scripturae, aut Deum, qui per carnem passus est et resurrexit. Arianorum sunt ista audacia, quandoquidem neque verum Deum Filium Dei *esse* confitentur. Sanctae vero Scripturae in carne Dei et carnis Dei hominis facti sanguinem et passionem et resurrectionem praedicant, et corporis Dei resurrectionem ex mortuis factam [2]. » Rursusque, post alia : « Idcirco in anima quidem Dei imperium mortis solvebatur et resurrectio ex inferno fiebat, et animabus evangelizabatur ; in corpore autem Dei corruptio abolebatur et incorruptio e sepulcro apparebat. Itaque, nec homo a Deo segregabatur, nec derelictio a Deo ad Deum dicebatur, neque mortificatio spiritusque discessio *erat* separatio Dei a corpore, sed separatio animae a corpore : nostra enim ibi mors describebatur [3]. »

Et in oratione de manifestatione Dei Verbi in carne aperte docet quod, peracta in corpore resurrectione, Verbum incarnatum, virtus Dei et Patris, seipsum suscitavisse creditur, hypostatice et ineffabiliter unitum corpori, omniaque divinitus replens ; non autem alium Filium aut * christum suscitavit, Filium (* p. 151.) hominis Iesum, qui ex Maria, sicut iudaico more dicit abominandus iste confictor orationis dogmaticae : Athanasius : « Sed quae Pater facit, per suam virtutem, quae est Filius, facit ; etenim « Omnia per ipsum facta sunt » [4]. Ita ergo cum etiam Filius dicit : « Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud ; dicebat autem de corpore suo » [5], alia Scriptura dicit quod Pater suscitavit Filium a mortuis [6], et bene dicit : suscitavit enim per proprium Verbum et Filium suum carnem Filii sui. Neque dicimus corpus esse Filium Dei, sed corpus Filii. Corpore igitur resurgente, Filius intelligitur excitatus a mortuis : ideo dicimus eum secundum carnem et mortuum esse et sepultum et a mortuis excitatum, secundum spiritum autem *eum* et in caelo et in terra et ubique *esse*. Quia igitur, *cum* prius esset dives, id est Deus, postea factus est pauper, id est homo, accipit vitam qui vitam habet, — ipse enim est vita, — sed pro nobis *illam* accipit. [7] »

[1] *P. Gr.*, XXVI, 1153. — [2] *Ibid.*, 1156. — [3] *Ibid.* — [4] Ioh., i, 3. — [5] Ioh., ii, 19, 21. — [6] Cfr *Galat.*, i, 1. — [7] *P. Gr.*, XXVI, 1001.

Et post pauca: « Ipse ergo sibi vitam largitur, ipse seipsum exaltat. Cum igitur ait, quod Pater ipsum sanctificaverit et excitaverit, ipsique dederit nomen quod est super omne nomen, et ipsi dederit vitam, evidens est Patrem per ipsum omnia facere. Per ipsum igitur ipsum excitat, et per ipsum ipsum sanctificat, et per ipsum ipsum exaltat, et per ipsum ipsi vitam dat. Et cum spiritum suum in manus Patris commendat, ut homo seipsum Deo committit, ut omnes homines Deo committat. Ipse enim est manus ipsa et manus ipsae Patris [1]. »

Itaque sanctus Athanasius sic novit unum Christum esse Deum inhumanatum; ille autem, * qui istam orationem dogmaticam confinxit aut irreligiose adulteravit, dualitatem filiorum excogitans scripsit etiam haec: Ex praedicta conficta oratione: « Quod si quis dixerit: « Non Iesum dixit *Apostolus* subiectum, sed Filium », audiat Iesum Filium Dei vocatum esse et esse propter Deum Verbum in ipso absconditum [2].» Et iterum: « Manifeste Iesus, qui factus est ex semine David, destinatus est Filius Dei secundum spiritum sanctitatis ex resurrectione mortuorum [3]: hunc ipsum dicit Paulus subiciendum Deo [4]. » Et iterum: « Is ergo, qui nescit diem iudicii, est filius ex Maria genitus; nihil enim ignorat ille ex corde Patris Deus Verbum, qui omnia novit antequam fiant [5]. » Et post alia: « Si vero Paulus, illud vas electionis, dixit esse quaedam verba ineffabilia, quae nec sibi nec alii licet loqui [6], procul dubio confitetur ineffabilia verba ad ipsum locutum Deum Verbum in Christo Iesu ineffabilem habere generationem a Patre [7]. » Rursusque, post alia: « Illi ergo, qui dicunt ipsum Filium ex non exstantibus, perinde ac si generationem eius scrutati essent, docent. Illius quidem, qui in carne, tum Matthaeus tum Lucas generationes dicunt atque narrant, eumque Isaias e Virgine nasciturum praesignificavit; divinam autem ex Patre Filii generationem dixit neminem esse enarraturum [8]. » Haec sunt, de quibus cum Nestorio et Andrea et impio Theodoreto disceptavit sanctus Cyrillus, quia Iesum hunc, qui videbatur, dicebant vocari et nominari Filium et adorari propter Filium et Verbum in ipso absconditum,

* p. 152.

[1] *P. Gr.*, XXVI, 1004. — [2] *Ibid.*, 1288. — [3] Cfr *Rom.*, i, 3-4. — [4] Schwartz, p. 15 et 29. — [5] *P. Gr.*, XXVI, 1288. — [6] Cfr II *Cor.*, xii, 4. — [7] Schwartz, p. 16. — [8] Locum non repperi.

et quia unum et solum Filium immutabiliter et * inseccabiliter incarnatum et inhumanatum dividebant in Christum Filiumque secundum carnem et in eum, qui non secundum carnem *Filius est*. Quapropter ad Nestorium quidem, in tomo secundo adversus blasphemias eius, scribebat: Cyrillus: « Cur igitur nobis frustra nugaris, gestantem et gestatum, latentem et spectabilem appellans, et tanquam alium cum alio adoratum profitens, atque modum unionis contemnens? cum unum Christum et Dominum nobis Scriptura inspirata exhibeat Verbum, quod ex Patre *est*, cum propria carne eius [1]. »

* p. 153.

Ad Andream autem similiter, contra reprehensionem primi capituli defensionem proferens, dicit: Cyrillus: « Dona vero dicunt allata esse a Magis tum ei, qui intelligebatur, tum ei, qui videbatur, convenientia, dividentes rursus in duo post unionem unum Dominum nostrum Iesum Christum. Qui enim intelligebatur, factus est visibilis, non mutatione naturae, sed unione cum corpore, quod videbatur [2]. » Ad Theodoretum autem similiter, in defensione anathematismi noni: Cyrillus: « Alius igitur est Christus ille, qui secundum carnem, et alius seorsum Christus rursus Verbum, quod ex Deo et Patre. Ubi igitur unio et quae exinde utilitas, si duo Christi, et singillatim atque seorsum uterque concipiatur et praedicetur [3]?» Diodorum autem profert impie dicentem: Diodorus: « Filius Dei, propter neminem: naturaliter enim est; caro Filius, propter Filium [4]. » Ad eum etiam protrahit sermonem, dicens: Cyrillus: « Et quomodo, dic mihi, propter Filium ipsa quoque caro singillatim *est* Filius? Aut cuiusnam tandem Filius *est caro?* Numquid Filii? Et quomodo non erudieris exinde, * ipsa rei absurditate hoc adducente? Et secus, Dei et Patris *filius est caro*, sicut et ille, qui natura et vere ex substantia eius *est?* Duo igitur Filii Dei, sine controversia! et en, quo recedet Paulus, qui dixit: « Unus Deus, Pater, ex quo omnia, et nos ex illo; et unus Dominus Iesus Christus, per quem omnia, et nos per ipsum [5]? »

* p. 154.

Itaque, ostendat quis nominatissimum Athanasium usquam, in omnibus suis scriptis inspiratis, dixisse Iesum vocatum esse Filium propter Filium et Verbum in ipso absconditum, aut us-

[1] *P. Gr.*, LXXVI, 104. — [2] *Ibid.*, 321. — [3] *Ibid.*, 433. — [4] *P. Gr.*, XXXIII, 1561. — [5] Pusey, t. III, p. 507 (syriace tantum); I *Cor.*, viii, 6.

quam nominavisse « Filium secundum carnem », vel « **Christum** secundum carnem », aut *dixisse* « Deum Verbum locutum esse in Christo Iesu », ut dicit ille iniquus, qui istam orationem dogmaticam confinxit: quae si Athanasii esset, tunc utique etiam scarabaei stercus devolventes Nestorii ad *hunc* fimum se circumegissent et *hanc orationem* tinnire fecissent *in auribus* sapientis Cyrilli, ut sibi valde patrocinantem verbis adeo absurdis. Sed contra, ubique apparet Athanasius unum solumque Christum confessus Verbum inhumanatum, eundem ante saecula cum Patre regnantem, eundemque hominem factum in fine dierum atque nostram subiectionem sibi propriam efficientem et, cum ostenderit, in die iudicii, nos subiectos fuisse et in operibus *nostris* obedivisse praeceptis evangelii, in seipsum tanquam in primitias et caput corporis Ecclesiae subiectionem nostram elaturum, sicque intelligendum dictum pro nobis Patri subiciendum; eundem autem divinitus scientem omnia, non vero, iuxta impias absurditates * illius mendacis orationis [1] dogmaticae, hominem Iesum, qui ex Maria, eum esse, qui ignoret subiciendusque sit, tanquam alius filius *sic* vocatus propter Filium et Verbum unigenitum in ipso absconditum. * p. 155.

Scripsit ergo, in oratione de manifestatione Dei Verbi in carne, hoc modo: Athanasius: « Et cum dicit de ultima die: « Nemo novit, neque Filius, nisi Pater [2] », humanitus loquitur. Si enim Patrem novit, ultimam diem quomodo ignorat? Etenim « nemo novit Patrem, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare [3] ». Et si Spiritus sanctus novit omnia, quae Dei sunt, quomodo Filius diem, quam ipse creavit, ignorat. Et si saecula per ipsum facta sunt atque tempora, manifestum est ultimam diem in saeculis et temporibus inveniri, et non potest illum fugere. Quaecumque igitur humilia verba a Domino dicta sunt, inopiae eius conveniunt, ut nos in ipsis ditescamus, non autem ut in ipsis blasphememus contra Filium Dei. Et ideo Filius Dei

[1] Ad hanc vocem notatur in margine: « Ex hac oratione locum adduxit sanctus Cyrillus, cum ad Reginas scripsit, et « Severiani » hanc *orationem* vocavit. » Erravit autem amanuensis hic ponendo notae signum, quod ad eandem vocem statim infra ponendum fuisset; et re quidem vera cfr *P. Gr.*, LXXVI, 1216 cum *P. Gr.*, XXVI, 996. — [2] Marc., xiii, 32. — [3] Matth., xi, 27.

filius hominis factus est, ut filii Hominis, id est, Adae, filii Dei fierent. Verbum enim, quod ex Patre desuper ante saecula ineffabili et inexplicabili et incomprehensibili modo et aeterne genitum est, idem in tempore ab imo gignitur ex Virgine Maria [1].» Et post alia: « Cum, ait, omnes subiecti fuerimus Filio et eius membra reperti, et ipsi in filios Dei effecti, — « vos enim, ait, unum estis in Christo Iesu [2] », — tunc ipse quoque pro nobis subicietur Patri, ut caput pro membris suis. Nondum enim subiectis membris eius omnibus, ipse, * caput eorum, nondum subicitur Patri, exspectans propria membra. Si enim ipse esset unus ex iis, qui subiciuntur, ab initio subiceretur Patri et non in fine hoc faceret. Nos enim sumus, qui in illo Patri subicimur, et nos sumus, qui in illo regnamus, donec ponantur inimici nostri sub pedibus nostris. Nam propter inimicos nostros Dominus caelorum in similitudine nostrum factus est et accepit humanum thronum David, patris sui secundum carnem, ut aedificaret et instauraret illum: ut cum instauratus fuerit, omnes in eo regnemus, ipso regnum humanum instauratum tradente Patri, ut sit Deus omnia in omnibus, regnans per ipsum tanquam per Verbum Dei, postquam regnaverit per ipsum tanquam per hominem salvatorem [3]. » * p. 156.

Et in oratione tertia contra Arianos de sancta Trinitate, temporali distinctione utens, quia isti Dei impugnatores volebant ignorantiam ad divinitatem Verbi nondum incarnatam referre, ostendit tum ignorantiam, tum omnia humana *Filio* convenire ex quo filius hominis factus est, non autem antequam incarnatus sit et ad voluntariam exinanitionem descenderit, neque ideo illum in duo dividi. Dicit enim illum eundem esse, prius quidem incorporeum, in fine autem temporum incarnatum, et carne passum esse propter nostram salutem, et mansisse extra passionem, quatenus est secundum substantiam Deus impassibilis, licet confictor orationis dogmaticae non eundem, sed alium atque alium esse impie decreverit in iis, quae modo apposita sunt, — et haec quidem, cum tamen ipsa Nestorii turma nonnunquam per speciem illum dicat unum eundemque, sicut iam ostendimus cum pellem simulationis eorum de-

[1] *P. Gr.*, XXVI, 993. — [2] *Gal.*, iii, 28. — [3] *P. Gr.*, XXVI, 1020.

* p. 157. traximus. * Athanasius: « Quoniam enim homo factus est, non erubescebat propter carnem ignorantem dicere: « Nescio », ut ostenderet se, scientem ut Deum, secundum carnem ignorare. Non ergo dixit: « Neque Filius Dei novit », ne divinitas ignorare videatur, sed tantummodo: « Neque Filius », ut Filii ex hominibus facti ignoratio sit. Quapropter et de angelis dicens, non dixit ulterius ascendendo: « Neque Spiritus sanctus », sed tacuit, haec duo ostendens: *scilicet* quod, si Spiritus novit, multo magis Verbum, quatenus Verbum est, cognoscat, utpote a quo et Spiritus accipit; et quod, de Spiritu sancto tacendo, manifestum effecerit se de humano suo ministerio dixisse: « Neque Filius ». Cuius quidem rei argumentum est quod, humanitus dicens: « Neque Filius novit », similiter ostendat se divinitus omnia nosse. Namque ab hoc ipso Filio, cui diem ignotam esse ait, Patrem cognosci dicit. Ait enim: « Nemo novit Patrem, nisi Filius ». Atqui omnes, praeter Arianos, nobiscum fatebuntur eum, qui Patrem cognoscit, multo magis cognoscere universam creaturam: porro, in « universa » *creatura*, eius quoque finis habetur [1]. » Et post alia: « Neque enim haec dicta sunt ante carnem; sed postquam Verbum caro factum est, et homo factum est, tunc et humanitus haec dicta esse scriptum est [2]. » Et post pauca: « Illis enim licet perspicere quomodo idem sit, qui opera facit, et idem sit etiam, qui corpus patibile ostendit eo quod siverit se flere et esurire et ea, quae corporis propria sunt, in eo apparere. Etenim ex huiusmodi *passionibus* agnoscebatur *ut* qui, cum Deus impassibilis esset, corpus * p. 158. passibile assumpsisset; ex * operibus autem ostendebat seipsum Dei Verbum esse et postea factum esse hominem, atque dicebat: « Si mihi non creditis », videntes me humano corpore amictum, saltem « operibus credite, ut cognoscatis quia ego in Patre meo et Pater meus in me [3] ».

Et in oratione de fide, in qua ostendit unum esse Christum, contraria huius orationis dogmaticae, fraudulentae atque confictae, sic scripsit: Athanasius: « Quodsi accurate denuo animadvertas et huic negotio animum adhibere volueris, deprehendes ipsos extra sanctam Trinitatem exturbantes Dominum nostrum Iesum Christum tanquam servum, tanquam hominem non adorandum eum, qui adorandus est, adorantem autem potius atque colentem cum ceteris omnibus et subiectum sanctae Trinitati, ut Marcellus et Paulus samosatenus divinam et apostolicam Scripturam perverse explicantes et ad suam sententiam detorquentes. Nam « cum subiecta fuerint illi omnia, tunc et ipse Filius », — id est, homo assumptus, — « subicietur illi, qui subiecit ei omnia, ut sit Deus [1] », — nempe sicut et ante incarnationem suam, cum incorporeus esset in omnibus, et corpus non haberet; et homo assumptus cum omnibus et super omnes computatus, accedens ad Deum et subectus illi atque illum colens. Perpendite in quantam amentiam delapsi sint isti, qui sibi ipsis sapientes videntur; in quantam vesaniam et infidelitatem abierint, ut et ea, quae non sunt, excogitent et confingant atque enarrent fabulas [2]. »

[1] *P. Gr.*, XXVI, 416. — [2] *Ibid.*, 437. — [3] *P. Gr.*, XXVI, 437; cfr Ioh., x, 36.

Quibuscum rursus expedit nos repetentes comparare verba orationis dogmaticae et fraudulentae, quae criminibus subiacent impietatis, quam sanctus Athanasius patefecit tanquam inducentem quaternitatem. * Ex conficta oratione, quam * p. 159. Athanasio adscribunt haeretici: « Cum itaque omnis creatura in nubibus occurrerit Filio et ipsi subiecta fuerit, tunc ipse Filius subicietur Patri, pro omni creatura factus fidelis apostolus et pontifex, ut sit Deus omnia in omnibus, id est, Pater et Filius et Spiritus sanctus, una dominatio, divinitas et *unum* regnum. Quod si quis dixerit: « Non Iesum dixit *Apostolus* subiectum, sed Filium, audiat Iesum Filium Dei vocatum esse et esse propter Deum Verbum in ipso absconditum [3]. »

Ex isto thesauro Grammaticus, qui blasphemare inconsiderate studet, adducit nobis locos in illo repertos, in quibus habetur: « Iesus est atque vocatur Filius propter Filium et Verbum in ipso absconditum », et: « is, qui subicitur et is, qui non subicitur », et « Filius secundum carnem et Filius non secundum carnem », et ea, quae exinde impie *sequitur*, terribilis etiam dictu, quaternitas, quae additur *Trinitati*. Quod autem his omnibus peius est et magis horrendum: Athanasio, tanto apostolicae fidei praeconi, ista adscribuntur, qui *tamen* in om-

[1] Cfr I *Cor.*, xv, 28. — [2] *P. Gr.*, XXVIII, 124. — [3] *P. Gr.*, XXVI, 1285.

nibus suis scriptis illa patefacit, sicut ex paucis illis sententiis, quas attulimus, lucide apparuit et manifeste demonstratum est.

Postea vero apponit iste indoctus locum ex oratione catechetica de corporali manifestatione Domini et Salvatoris nostri Iesu Christi Filii Dei pro nobis inhumanati, quam apostolicus doctor Athanasius adiunxit orationi de inventione idolorum atque abolitione eorum, in quo *loco* habetur sic: ATHANASII *locus,* QUEM ADDUXIT GRAMMATICUS: « Corpus igitur, tanquam et ipsum communem, sicut omnes, naturam habens, — nam corpus * p. 160. humanum * erat, — etsi novo miraculo ex sola Virgine constitutum est, mortale tamen erat et ad modum similium *corporum* moriebatur. At vero per adventum Verbi in ipsum, iam non corrumpebatur iuxta propriam naturam [1]. »

Et quis, modo inter christianos reperiatur recteque confiteri didicerit, non confitetur corpus aptum ad moriendum et patiendum a Dei Verbo hypostatice sibi unitum esse? Quod autem ipsi corpori naturale est, proprium Verbi effectum est propter ineffabilem unionem. Ideo ipsum quoque Verbum scriptum est atque creditur passum esse, quin amiserit id, quod secundum substantiam impassibile sit et immortale. Adiungit igitur haud post multa ipsi loco apposito Doctor manifeste haec: ATHANASIUS: « Unde, ut saepe antea dictum est, Verbum, cum mori non posset, — nam immortale est, — assumpsit sibi corpus, quod mori posset, ut illud tanquam proprium pro omnibus offerret, et ut tanquam Ipsum pro omnibus patiens, quia sibi proprium effecerat corpus, destrueret diabolum, qui mortis imperium habebat, et liberaret eos omnes, qui timore mortis obnoxii erant servituti per totum vitae suae tempus [2]. »

Quid ergo te iuvat, o Grammatice, verba ex scriptis sanctorum Patrum ab impiis excerpta ob *tuam* ineruditionem quomodocunque apponere? Si enim integra illa legisses, forsan intellexisses, sicuti iam antea dixi, divisionem tuam diphysiticam et iniquam his *verbis* repudiari, cum differentia naturarum, ex quibus *est* Emmanuel, illum unum in duo non dissecent. Quo- * p. 161. modo autem, cum vel ipsae, quas apposuisti, sententiae * dicant:

[1] *P. Gr.*, XXV, 132. — [2] *P. Gr.*, XXV, 132; cfr *Hebr.*, II, 14-15.

ATHANASIUS: « Corpus per adventum Verbi in ipsum, iam non corrumpebatur iuxta propriam naturam [1] », non vides damnari blasphemiam Tomi Leonis dicentis: LEO: « Tenet enim sine defectu proprietatem suam utraque natura [2] »? Si enim sine defectu servaret utraque proprietatem suam......................... .....[3], quomodo corpus recusaret id, quod naturaliter ipsius proprium est, id est, corruptionem? At omnibus manifestum est Emmanuelem, quia ex duabus naturis immutabiliter, inconvertibiliter et sine defectu se habentibus unus indivise est, interdum concessisse carni suae ut sua propria sustineret, rursusque ut istis celsior appareret, quia Dei inhumanati, non autem cuiusvis tantum hominis caro erat. Hoc enim ipsis verbis sapientem quoque Cyrillum docuisse, in iis, quae supra *dicta sunt* [4], apposuimus. Divisionis enim in duo proprium est dicere: LEO: « Tenet enim sine defectu proprietatem suam utraque natura [5]. »

Eandem autem impietatis ineruditionem sectatus, apposuisti etiam hunc locum, mendacemque titulum dedisti sic: GRAMMATICI *verba* CALUMNIANTIS ATHANASIUM: « Eiusdem, ex oratione « Quod Verbum caro factum est [6] ». Et tu quidem, cum nihil didiceris, ut dixi, nec quidquam exercitate scias, sed extra et ante divinae scientiae portam tanquam immundus et peregrinus consistas, rapuisti quidquid prompte assumere potuisti. Qui autem ante te impietati indulserunt miserosque istos labores indoctis tui similibus praepararunt, et locos ex orationibus excerpserunt, mendacibus titulis * illos celare studuerunt, cum * p. 162. vellent effugere reprehensionem, atque ineruditos aut negligentes per pigritiam aut difficultatem removere ab inquisitione et inventione veritatis. Locus enim considerationi propositus in oratione tertia operis contra Arianos de sancta et consubstantiali Trinitate reperitur, — quo etiam modo eximius Cyrillus, in una ex epistulis *suis* ad monachos illius scripti mentionem fecit, sic: « Permagnus pater Athanasius, de sancta Trinitate

[1] *P. Gr.*, XXV, 132. — [2] *P. Lat.*, LIV, 765. — [3] Deletae sunt in textu sex aut septem voces. — [4] Cfr supra p. 79. — [5] *P. Lat.*, LIV, 765. — [6] Locum Athanasii a Grammatico adductum (cfr infra, p. 118.) eodem titulo insignitum reperies *P. Gr.*, XXVI, 1324 (fragm. II).

librum nobis conscribens, in oratione tertia, sanctam Virginem passim Deiparam vocat [1]. »

Sciendum autem est tribus quidem orationibus integrum constare studium circa sanctam Trinitatem contra infandos Arianos, sicut dixit sagacissimus Cyrillus, omnia cum congrua accuratione scribens. Quidam autem libros parantes, plerumque illi *operi* adiciunt etiam epistulam encyclicam venerabilis patris Athanasii de eodem argumento contra istos ipsos Dei negatores Arianos, cuius initium est: ATHANASIUS: « Omnia quidem, quae Dominus et Salvator noster Iesus Christus, ut scripsit Lucas, fecit et docuit, ad nostram salutem perveniunt [2] », ita ut censeatur integrum opus non tribus, sed quatuor orationibus constare. Unde nos quoque, cum testimonium exinde produximus, modo quidem ac si tribus, modo vero ac si quatuor orationibus integrum opus constaret, numerorum mentionem fecimus, atque saepe eandem orationem diverso modo, nunc quidem quartam, nunc autem tertiam, nominavimus [3].

* p. 163.

* Iam autem apponendus est locus, cui confictum titulum commentus est Grammaticus, seu potius ii, qui perversa voluntate ante illum impietati indulserunt: ATHANASIUS: « Et quemadmodum illo spuente et manum extendente et Lazarum vocante, non dicebamus humana esse prodigia, quamvis per corpus fierent, sed Dei *esse*: ita, si humana dicantur de Salvatore nostro in evangelio, rursus eorum, quae dicuntur, naturam attendimus, eaque, utpote quae a Deo aliena sunt, non divinitatis Verbi, sed humanitatis eius esse nobis censendum est. Nam etsi Verbum caro factum est, carnis tamen propriae sunt passiones; et quamvis deifera efficiatur caro in Verbo, gratia tamen et virtus Verbi est. Itaque Patris opera per carnem *operabatur, et nihilominus carnis rursus passiones* [4] apparebant in illo : exempli causa, sciscitabatur, et Lazarum excitavit; increpabat matrem suam, dicens: « Nondum venit hora mea », et continuo aquam in vinum convertebat [5]. » MUTATIO HAERETICA:

[1] *P. Gr.*, LXXVII, 13. — [2] *P. Gr.*, XXV, 537. — [3] Sic *Epistula encyclica* a Severo vocata est *Oratio prima contra Arianos* supra, p. 10, et iam t. I, p. 224; *Oratio tertia contra Arianos* vocata est quarta supra, t. I, p. 99. — [4] Haec verba censui e graeco supplenda esse, quia testatur ipse Severus ea pertinere ad veram loci scripturam, et ab adversariis ablata fuisse. Cfr infra, p. 120. — [5] *P. Gr.*, XXVI, 409.

« Vera enim erat divinitas in carne, veraque erat caro in illa [1]. »

Quam vitiatas igitur has ipsas etiam sententias apposuerit, — cum illas, ut saepe dixi, ex spicilegiis collegerit, libros autem non legerit, — nonnullis coniunctionibus, verbis, nominibus aliisque orationis partibus nunc quidem omissis, nunc autem mutatis, relinquo eruditis et lamentabili egregii Grammatici libello occurrentibus sollicite explorandum. Ego enim iuxta veram scripturam illas apposui, non tanta cura ignorantiam reprehendere studens, * quanta impietatem. Ad hanc solummodo partem, quae in fine loci reperitur, haereticam scripturam apposui. Etenim ipse quidem scripsit sic: GRAMMATICI *verba*, QUAE MUTAVIT IN *textu* ATHANASII: « Vera enim erat divinitas in carne, veraque erat caro in illa [2] »; in vera autem scriptura hoc modo habetur: ATHANASII EFFATUM, QUOD MUTAVIT GRAMMATICUS: « Verus enim Deus erat in carne, veraque caro erat in Verbo [3]. » Hoc autem supremam demonstrat unionem et indissecabilem incarnationem, secundum quam neque Verbum extra carnem intelligitur, neque caro extra Verbum reperitur, post inexplicabilem inhumanationem. Deus enim manifestatus est in carne, iuxta vocem Pauli [4], qui etiam de nobis ipsis, quibus anima spiritualis et rationalis obtigit, quique in carne sumus, dicit: « Nam et qui sumus in tabernaculo, ingemiscimus gravati [5]. »

* p. 164.

Multa tamen diligentia usus est sanctus Athanasius. Postquam enim dixerat: ATHANASIUS: « Verus enim Deus erat in carne », vicissim perrexit dicens: « veraque caro erat in Verbo [6] ». Cum *tacite* absolvat: « incarnato », indissecabiliter intelligemus Verbum et hypostatice et suprema concretione unitum corpori anima rationali praedito, non autem secundum relationem in illo habitans, sicut in prophetis, qui divina communicatione et gratia agebantur atque prophetizabant. At iste miser Grammaticus putavit hunc locum sibi auxilio futurum esse ad divisionem in duas naturas *sustinendam,* propterea quod Doctor dixerit non oportere nos, naturam eorum, quae dicuntur, attendentes, humana, utpote quae aliena sunt * a Deo, divinitatis Verbi esse censere. Istud autem ex sententiis, quae

* p. 165.

[1] Locum non repperi. — [2] Item. — [3] *P. Gr.*, XXVI, 412. — [4] I *Tim.*, III, 16. — [5] II *Cor.*, V, 4. — [6] *P. Gr.*, XXVI, 412.

ab impiis abscissae sunt et ante locum *allatum* reponuntur, promptam sortitur confutationem. Scripsit enim: Athanasius: « Non enim Verbi, quatenus Verbum est, sunt ista, sed hominum ista sunt propria[1] », sicut humana aliena sunt a Deo Verbo, quatenus Verbum est, invisibile et incorporeum[2]. Qui autem id dixit, manifesto docuit idem *Verbum*, quatenus homo factum est, eas, quae hominum propriae sunt, passiones, absque peccato, suas per oeconomiam effecisse. Hoc igitur Grammaticus, veritatis inimicus, vel ii, qui ante illum impietati indulserunt, etiam e sententiis ab ipsis appositis subripuerunt; scripserunt enim sic: Grammaticus: « Itaque opera Patris per carnem exhibebantur in illo[3] », cum *tamen* in vera scriptura sic habeatur: Athanasius: « Itaque opera Patris per carnem operabatur, et nihilominus carnis rursus passiones in illo exhibebantur[4]. » Si in Verbo exhibebantur passiones carnis, non ergo ab eo, cum incarnatum est, alienae erant istae *passiones, Verbo* sic quoque impassibili manente nec unquam excidente a divinitate.

Idcirco haec quoque aperta claraque voce *enuntians* in eadem oratione tertia, ante locum adductum, scripsit: Athanasius: « Itaque, si alterius quidem esset corpus, illius etiam dicerentur *esse* passiones; sed si Verbi caro est, — nam « Verbum caro factum est[5] », — necesse est etiam carnis passiones illius dici, cuius et ipsa caro est. Cuius autem dicuntur esse passiones, quales sunt condemnari, flagellis caedi, * sitire, et crux, et mors, ceteraeque corporis infirmitates, ipsius sunt et prodigium et gratia. Ideo ergo consequenter et congruenter non alterius, sed ipsius Domini huiusmodi passiones esse dicuntur, ut et gratia ab illo sit, neque alius cultores, sed vere Dei veneratores simus, quia nullam ex creaturis, nec vulgarem aliquem hominem, sed verum, qui secundum naturam et veritatem ex Deo *est*, Filium, ipsum etiam hominem factum nihilominus Dominum et Deum et Salvatorem invocamus[6]. »

Cum autem sanctus Athanasius dicit non divinitati Verbi,

[1] *P. Gr.*, XXVI, 409. — [2] Haec ultima verba, etsi in codice signo notentur quasi pertinentia ad locum allatum, puto esse Severi interpretantis verba statim exscripta Athanasii. — [3] Locum non repperi. — [4] *P. Gr.*, XXVI, 412. — [5] Ioh., i, 14. — [6] *P. Gr.*, XXVI, 392.

sed humanitati eius imputandas esse istas passiones, humanitatem vocat oeconomiam inhumanationis eius, id est, Verbum inhumanatum, et docet non divinitatis carnis expertis, iuxta impiam Arianorum sententiam, sed carne praeditae, ista censenda esse propria. Verbum enim semel incarnatum et inhumanatum ab ipsius carne, seu humanitate, non abscindit; idque diligens eius vox ostendit, quae in oratione secunda ipsius libri contra Arianos de sancta Trinitate dicit haec: Athanasius: « Neque oportet huiusmodi verba de eius divinitate accipere, sed considerare cur et quomodo haec scripta fuerint; certissimeque inquirentibus occurret humana oeconomia, quam propter nos suscepit[1]. » Et post alia: « Quia vero sequentem versum legentes haeretici perperam, de illo meditantes, putant, propterea quod scriptum est: « Ante saecula fundavit me[2] », haec etiam de divinitate Verbi, non de eius adventu in carne, dicta esse, necesse est, hunc quoque versum explicantes, illorum errorem ostendamus[3]. »

* Similì etiam modo rerum divinarum peritissimus Basilius, in oratione syllogismorum adversus Eunomium, scripturisticas istius iniqui retorsiones solvens, dixit: Basilius: « Tale autem est et hoc: « Data est mihi potestas in caelo et in terra[4]. » De inhumanatione igitur, non de divinitate, haec oportet intelligere[5]. » Rursusque: « Si propter Patrem vivit Filius, propter alium, non propter seipsum, vivit. Sed qui propter alium vivit, ipsa vita esse non potest; nec enim ipse sanctus est is, qui per gratiam sanctus est. Mentitus igitur est Filius, qui dixit: « Ego sum vita[6] », et rursus: « Sic et Filius quos vult vivificat[7] ». De inhumanatione ergo, non de divinitate dictum intelligere oportet[8]. » Et iterum: « Si in opera creavit Pater Filium, non propter ipsum, sed propter opera, creavit illum. Quod autem propter aliud, non propter se, fit, aut pars est eius, propter quod factum est, aut eo minus. Erit ergo Salvator aut pars creaturae, aut ea minor. Quare necesse est de humanitate eius illa intelligere[9]. »

Lucide ergo ostensum est rectae sententiae doctores, quando

[1] *P. Gr.*, XXVI, 172. — [2] *Prov.*, viii, 23. — [3] *P. Gr.*, XXVI, 301. — [4] Matth., xxviii, 18. — [5] *P. Gr.*, XXIX, 693. — [6] Ioh., xi, 25. — [7] Ioh., v, 21. — [8] *P. Gr.*, XXIX, 697. — [9] *Ibid.*, 704.

dicunt humanitati Dei Verbi illa congruere, inhumanationi eius illa convenire asserere, id est, Verbo inhumanato, non autem extra carnem exsistenti atque quatenus Verbum est *considerato*, — quod Ariani studiose dicunt, — sed quatenus homo factum est. Frustra igitur isti anthropolatrae, qui Emmanuelem dualitate naturarum post inexplicabilem unionem dividunt, *verba* ad Arianos ea intentione, quae ostensa est, dicta, ad defensionem impietatis suae et ad sectionem indissecabilis incarnationis * Dei Verbi exhibere audent. Idcirco enim huic loco titulum commenti sunt et astute inscripserunt: ex *oratione* « Quod Verbum caro factum est [1] », ut putarentur verba *esse* ipsius Doctoris incarnatum Verbum in duo dissecantis, non eundem carnis expertem et incarnatum discernentis, cum adversus Arianos pugnaret.

* p. 168.

Iterum ergo rogemus Grammaticum ut ostendat eos, qui in Chalcedone congregati sunt, vel Tomum Leonis expresse dixisse humana aliena esse a Verbo, quatenus Verbum est, non quatenus homo factum est, aut illa secundum inhumanationem accipienda esse, ut intelligatur incarnatum Verbum non dividi. At non valet *hoc ostendere*. Etenim destituuntur quidem recta sententia; manifesto autem Leo, Verbum incarnatum dissecat in hominem singillatim et Deum, et illi quidem passiones, huic autem miracula tribuit, dicens: LEO: « Esurire enim et sitire et lassescere et dormire certissime hominis est. Sed quinque panibus quinque milia hominum satiare, et largiri Samaritanae aquam vivam unde, cum biberit, praestabitur ei, ne ultra sitiat; et supra dorsum maris pedibus non madefactis ambulare, fluctuum autem elationem increpando tempestatem sedare, sine ambiguitate Dei est [2]. »

Illud autem, quod Doctor dixit: « deifera efficitur caro in Verbo [3] », significat carnem in se ferre ea, quae Verbi propria sunt. Utique non desiit id esse, quod est secundum naturam; sed effectrix est divinorum operum: et mortuos vivificat, et infirmos solo tactu sanat, haec *peragere* valens per unionem ad Verbum, quod secundum substantiam potest * talia operari. Itaque cum explicaret quid esset illud: « Deifera efficitur caro

* p. 169.

[1] Cfr supra, p. 117, n. 6. — [2] *P. Lat.*, LIV, 769. — [3] *P. Gr.*, XXVI, 409; cfr supra, p. 118.

in Verbo », dixit: « Itaque Patris opera per carnem operabatur [1] », et quidem rectissime: nam si caro anima et mente praedita idonea fuit quae Verbum ferret, quia *Verbum* hoc benigne voluit, — quemadmodum corpus nostrum fert rationalem animam sibi hypostatice unitam, — quomodo futurum non esset ut *caro* divinas quoque efficientias in se ferret et iis, quae Verbi propria sunt, locupletaretur, ita ut per illam divina patrarentur signa?

Ideo ergo et in epistula ad Adelphium scripsit haec: ATHANASIUS: « Sic etiam mulier, quae sanguinis fluxum patiebatur, cum credidisset atque tantummodo vestem eius tetigisset, sanata est; et mare quidem fluctibus spumans audivit Verbum incarnatum et quievit a tempestate, caecus autem ex utero matris suae sputo carnis sanatus est a Verbo [2]. » Etenim Verbi propria erat caro, sicut animae cuiuslibet hominis proprium dicitur corpus, quod naturaliter illi unitur, illique concreti organi instar inservit ad omne opus, quod ipsa vult operari; non autem secundum impiorum deliramenta, homo erat ex participatione sanctificatus atque sic deifer effectus. Et haec quidem manifesto docet, in oratione tertia libri contra Arianos de sancta Trinitate: ATHANASIUS: « ut ostenderetur, et omnes crederemus eum, cum semper Deus sit et eos sanctificet, ad quos accesserit, omniaque iuxta Patris voluntatem disponat, postea propter nos hominem factum esse, et corporaliter, ut dixit Apostolus [3], habitasse divinitatem in carne; quod idem est ac si * diceret: cum Deus esset, proprium habuit corpus, quo velut organo utens, homo factus est. Et ideo, quae illius *carnis sunt*, ipsius *Verbi* propria dicuntur, quia in illa erat: qualia sunt esurire, sitire, pati, lassescere, et his similia, quorum caro capax est. Opera autem Verbi propria, quae sunt: mortuos excitare, caecis visum restituere, haemorrhoissam sanare, per propriam carnem faciebat. Et Verbum quidem infirmitates carnis ut proprias portabat: ipsius enim erat caro; caro autem operibus divinitatis *faciendis* inserviebat, quia in ipsa fiebant: Dei enim corpus erat [4]. »

* p. 170.

[1] *P. Gr.*, XXVI, 409. — [2] *P. Gr.*, XXVI, 1076. Quae sequuntur, non Athanasii sed Severi verba esse videntur. — [3] *Coloss.*, II, 9. — [4] *P. Gr.*, XXVI, 389.

His consona sapiens quoque Cyrillus in Scholiis scripsit: CYRILLUS: « Quemadmodum enim ignis ligno affixus et id penetrans, ipsum quidem comprehendit, non autem ipsum demovet ab eo, quod lignum sit, sed potius ipsum transmutat in speciem et vim ignis, et omnia sibi propria in ipso operatur, iamque ipsum tanquam unum aliquod cum illo aestimatur: sic et de Christo intellige. Cum enim Deus ineffabiliter unitus est humanitati, servavit quidem illam id, quod illam esse dicimus, sed et ipse mansit id, quod erat; semel tamen unitus, tanquam unus cum illa aestimatur, ea quidem quae sunt illius sua faciens, immittens autem et ipse in illam propriae suae naturae efficientiam[1]. » Similiter etiam in libro quinto commentarii evangelii Matthaei, de socru Petri a febri liberata, dixit: CYRILLUS: « Sanavit enim ut Deus, tactum manus suae iacenti largiens. Et quam ob causam? Ut ostenderet corpus suum paris * virtutis esse cum natura divinitatis suae, — dico, *paris* efficientiae quoad aegrotantes. Est enim corpus non cuiuslibet hominis, sed ipsius Verbi cuncta potentis prospere operari[2]. »

* p. 171.

Rursus alium locum impius et ineruditus Grammaticus apposuit, conficto ab iis, qui talia machinantur, titulo absconditum, hoc modo: IPSIUS GRAMMATICI *verba* DE ATHANASIO: «Eiusdem, contra Arianos ». Re autem vera reperitur *locus* in oratione secunda libri de sancta Trinitate contra Arianos: ATHANASIUS: « Namque idcirco huiusmodi adhaesio facta est, ut ei, qui secundum naturam divinitatis *exsistit* eum, qui natura homo est, coniungeret[3]. » Iste igitur, semel ebrietatis vertigine laborans quoad titulum, et verba ab aliis abscissa absque perceptione apponens, putat exinde demonstrari Deum Verbum, iuxta Nestorii amentiam, sibi hominem quadam relatione coniunxisse. Impugnat autem veritatis Doctor istam immundam sententiam per verba, quae abscissa sunt, quaeque ante illum locum reperiuntur. Ostendit enim per hoc ipsum quod Verbum caro factum sit, id est, immutabiliter unitum sit secundum hypostasim cum carne et vere semen Abrahae, secundum divinas Scripturas[4] apprehenderit, hominem nostri secundum naturam similem, — qui tota natura totumque genus humanum est, — unitum

[1] *P. Gr.*, LXXV, 1380. — [2] *P. Gr.*, LXXII, 389. — [3] *P. Gr.*, XXVI, 296. — [4] *Hebr.*, II, 16.

esse cum eo, qui secundum naturam *est* Deus. Divinae enim naturae nos fieri consortes scripsit Petrus[1]; solent autem sacrae Scripturae totam humanitatem singulari appellatione multis in locis indicare, ut, exempli causa, dicendo: « Homo, cum in honore esset, non intellexit[2] », et: « Homo, sicut foenum dies eius[3] », et: « Quid est homo, quod memor es eius[4]? »

Et haec ita se habere ostendent verba, * quae abscissa sunt, et plene in medium prodibunt: ATHANASII *verba*: « Ac quemadmodum a peccato et a maledictione liberati non essemus, nisi humana secundum naturam esset illa caro, quam Verbum induit, — nullam enim communionem habuissemus cum aliena *carne*, — ita homo non esset deificatus nisi is, qui caro factus est, naturaliter ex Patre et verum propriumque Verbum eius esset. Namque idcirco huiusmodi adhaesio facta est, ut ei, qui secundum naturam divinitatis *exsistit*, eum, qui natura homo est, coniungeret firmaque fieret eius salus ac deificatio[5]. » Cum igitur Doctor pluraliter dixerit: « a peccato et a maledictione liberati non essemus », et singulariter addiderit: « ita homo non esset deificatus, nisi is, qui caro factus est, naturaliter ex Patre et verum propriumque Verbum eius esset », ostendit nos ipsos esse, qui liberati et deificati sumus atque coniuncti cum illo, qui secundum naturam Deus est, quique firmam sortiti sumus salutem. Evidens enim est, nisi a sensu decidamus, Christum non sibi, sed nobis, operatum esse salutem. Quod autem totam humanitatem, totumque hominum genus saepissime soleant Doctores singulariter vocare « hominem » vel « naturam hominis » significavit etiam sapiens Cyrillus, in libro duodecimo enarrationis explanatoriae evangelii Matthaei, scribendo sic: CYRILLUS: « Cuius autem vox fuerit manifesto explicat beatus Lucas. Ait enim: « Pater, in manus tuas commendo spiritum meum[6] ». Ditati enim sunt nostri *spiritus*, cum aliis, etiam hoc ipso, id est, hominis natura[7]. » Rursusque, in tomo tertio explanationum suarum in epistulam ad Hebraeos: CYRILLUS: «Exhibet ergo nos Paulus spoliatos gloria olim donata. Ideo * dixit:

* p. 172.

* p. 173.

[1] II PETR., I, 4. — [2] *Psalm.* XLVIII, 13. — [3] *Psalm.* CII, 15. — [4] *Psalm.* VIII, 5. — [5] *P. Gr.*, XXVI, 296. — [6] LUC., XXIII, 46. — [7] Locum non repperi. Connectitur manifesto cum scholio in MATTH., XXVII, 50, quod habetur *P. Gr.*, LXXII, 465.

« Nunc autem, necdum videmus omnia subiecta ei[1]. » Porro, nunquam suspicabimur, si recta sapere velimus, eum de uno homine illa dicere; sed in una veluti persona universalem hominem indicat, quem possessione gloriae ipsi olim datae spoliatum esse dicit[2]. »

Rursus alium locum impius et ineruditus Grammaticus apposuit, ex epistula sancti Athanasii ad Epictetum, sic: Athanasii *locus,* quem adducit Grammaticus: « Omnibus propalam factum est, corpus non fuisse Verbum, sed corpus Verbi fuisse. Hoc ipsum a mortuis suscitatum Thomas contrectavit, fixurasque clavorum in eo conspexit, quos Verbum sustinuerat, dum illos corpori suo vidit affigi, neque id prohibuit, cum prohibere posset, sed sibi ipsi propria effecit ea, quae corporis erant propria. Quae enim humanitas patiebatur, haec ipsa Verbum cum illa exsistens ad se efferebat[3]. »

Multis iam ostendimus egregium Grammaticum vanos labores profundere, ipsamque Nestorii et eorum, qui istius furore tumescunt, insaniam insanire. Non enim quia corpus non erat Verbum, rursusque quia corpus ex Maria *natum* non transiit ad id, quod Verbum fieret, ideo iam cum differentia secundum substantiam coniungitur prorsus et divisio. Cum enim Emmanuel sit ex duobus inter se non consubstantialibus, *ex* divinitate et humanitate, una *tamen est* persona, una hypostasis, una natura Verbi incarnata, neque dividitur, post unionem, dualitate naturarum ex quibus inconfuse in unum compingitur.

* p. 174. * At tempus rursus est, o bone, tibi caput dolenti infundere[4] sacra Cyrilli verba, quae ad Nestorium, patrem tuum, in tomo quinto adversus blasphemias eius, scripsit: Cyrillus: « Quodsi quisque ex iis, qui in sacris Litteris educati sunt, abominandum ducit, etiamsi istud solummodo audiat, mutationem factam esse in Unigenito, cur tam turpia et uno omnium suffragio damnata ac prorsus reiecta tanquam vera et dicta accipiens, illum indivisibilem dissecare conatur, idque post unionem[5]? » Quomodo autem, o Dei impugnator, audiens sanctum Patrem Athanasium dicentem: « Conspiciens *Thomas* fixuras clavo-

[1] *Hebr.*, II, 8. — [2] Pusey, t. III, p. 427 (syriace tantum). — [3] *P. Gr.*, XXVI, 1060. — [4] tanquam aquam per caput. — [5] *P. Gr.*, LXXVI, 229.

rum, quos sustinuerat Verbum corpori suo affixos[1] », non erubescis in Leonis impietate, cui defensionem vis adstruere, cum manifesto expandatur? Qui enim dixit Verbum sustinuisse clavos corpori suo affixos, ipsum crucifixum novit Dei Verbum propter nos incarnatum, cuius proprium effectum est etiam corpus, quod clavorum infixionem tolerare valebat; non autem indiguit, sicut iste iniquus, Illud in duo dissecare interrogando: Leo: « Quae natura transfixa clavis fuerit, cum in crucis ligno pendebat[2]? » Quomodo autem ii, qui illos locos excerpserunt, si magni Athanasii verba sibi profutura putent, quia *tamen* abundantem confutationem ex illis *verbis,* si perfecte *illa* legant, *elucentem* non sustinent, sententias e medio abscindunt atque furantur, etsi tanta est ipsorum verborum virtus ut vel lacerata veritatem evincant et clament? Iam autem ea, quae e medio loci examini subiecti abscissa sunt, * manifesto ostendentia Verbum secundum substantiam incorporeum, cum ipsius proprium sit illud ex deipara Virgine corpus, propter oeconomiam ad nos et indissecabilem inhumanationem, sibi etiam propria effecisse et tulisse ea, *quae* corporis propria *sunt,* quin ut Deus ab impassibilitate, qua sua natura *gaudet,* discesserit, sunt haec: Athanasius: « Sed et sibi propria efficiebat ea, *quae* corporis propria *sunt,* tanquam sua *Verbum* incorporeum. Sic corpore vapulante a ministro, quasi ipsummet pateretur aiebat: « Quid me caedis[3]? » Et cum natura sua intactile esset, dicebat tamen: « Dorsum meum dedi ad flagella et faciem meam non averti a sputo[4]. » Haec e medico tulerunt isti sanctorum verborum fures et, quod ad ipsos attinet, spoliare conantur Dei Verbum carne anima rationali praedita, quae ipsi hypostatice unita est, itemque passionibus huius *carnis* et victoria super mortem atque resurrectione, ne ipsius propria haec dicantur et credantur. * p. 175.

Rursus autem, cum in hoc loco habeatur: Athanasius: « Quae humanitas Verbi patiebatur », abstulerunt isti immundi *vocem* « Verbi », putantes se *sic* Illud separaturos et spoliaturos esse humanitate ipsi hypostatice unita, in qua passiones pertulit, cum ipsi naturalis esset, neque abiceretur impassibilitas secun-

[1] *P. Gr.*, XXVI, 1060. — [2] *P. Lat.*, LIV, 775. — [3] Ioh., XVIII, 23. — [4] Isai., L, 6; *P. Gr.*, XXVI, 1060.

dum substantiam. Quod clare indicant etiam illae sententiae, quae ex iis, quae sequuntur locum *adductum*, abscissae sunt: quae veluti membrorum compositione coaptantur sic: ATHANASIUS: « ...ut nos deitatis Verbi participes fieri possemus. Ac per- * p. 176. quam mirabile erat, ipsum esse patiens et non patiens: *patiens quidem, quia proprium corpus patiebatur, et in ipso patiente erat; non patiens autem, quia, cum natura Deus sit Verbum impassibile est. Et ipsum quidem incorporeum erat in passibili corpore; corpus autem habebat in se impassibile Verbum ipsius corporis infirmitates absumens[1]. »

Rursus ex ipsa epistula ad Epictetum impius ineruditusque Grammaticus apponit locum, qui ante locum modo consideratum, multis sententiis interpositis, et fere in exordio epistulae reperitur: quod solidum argumentum est *ad demonstrandum* illum ea, quae sparsim invenisset ab aliis excerpta, quocunque modo apposuisse. Si enim *opera* legisset, utique ipsum etiam ordinem tenuisset, cum nuda testimonia hic adduceret, non autem contextum orationis distincte componeret: tunc enim, cum ordo non requiritur, loci seu testimonia congruenter ad id, quod praeparationes sententiarum postulant, componuntur. Locus autem, de quo agitur, est hic: ATHANASIUS: « Aut quis ita impietati indulsit, ut simul diceret atque sentiret divinitatem Patri consubstantialem circumcisam esse et imperfectam ex perfecto factam fuisse, et eum, qui ligno affigebatur, non fuisse corpus, sed ipsam creatricem substantiam Sapientiae[2]? »

Itaque, o amentissime Grammatice, quia non secundum substantiam passa est Dei Sapientia, neque Unigeniti Verbi divinitas, sed corpus erat, quod circumcisionem et passionem suscipiebat: ideo dicemus neque incarnatam unigenitam Sapien- * p. 177. tiam * Dei et Patris circumcisam et passam esse carne, sicut scriptum est, manendo intra limites impassibilitatis, quam naturaliter habet? Mala autem aemulatione eos aemulabimur, qui impie confitentur illam secundum substantiam passam esse, et magis impie illam dividemus tum a corpore, tum a passionibus, quae nobis impassibilitatem praeepararunt, tum a redemptione, qua redempti sumus nos, qui gloriamur redemptorem nobis esse

[1] *P. Gr.*, XXVI, 1060. — [2] *Ibid.*, 1053.

Deum inhumanatum? At non ita se habebat Athanasius, in doctrinis apostolicis enutritus, sed in duas oppositas impietatis partes armabatur: et hos quidem docebat impossibile esse Dei Verbum, cum secundum substantiam incorporeum sit, secundum hanc ipsam divinam substantiam perferre ea, quae corporis sunt, — corporis enim est *cruci* affigi et circumcidi; — illos autem docuit confiteri eundem esse Deum et Dei Filium atque ex Maria incarnatum et carne crucifixum et passum. Nam ad calcem huius ipsius loci nobis tanquam consideranda profert haec: ATHANASIUS: « Quomodo autem ii, qui christiani dicuntur, ambigere ausi sunt, sitne Dominus, qui ex Maria natus est, substantia quidem et natura Filius Dei, secundum carnem vero ex semine David et ex carne sanctae Mariae? Quinam autem adeo impudentes facti sunt ut Christum, qui carne passus et crucifixus est, negent esse Dominum et Salvatorem et Deum et Filium Patris[1]? »

Rursus ex eadem epistula ad Epictetum apponit locum, qui se habet sic: ATHANASIUS: « Sed in corpore circumciso et gestato et edente et bibente et cruci affixo et passo erat impassibile et incorporeum Dei Verbum. Illud *corpus* fuit, quod in sepulchro positum est, cum *Verbum* abiit praedicatum illis spiritibus, * qui in carcere *erant*[2]. » Quomodo non percipis te ex istis etiam * p. 178. verbis, quae lacerata dispergis, confutari? Si enim huic loco eum adiunxeris, quem ante ipsum posuisti, perfectam invenies pietatis doctrinam, quae differentiam ab utraque parte excludit. Est autem haec *doctrina* Filium et Sapientiam Dei et Patris, Unigenitum Verbum, etsi secundum substantiam non passus est, sed quidquid ab initio erat, immutabiliter mansit, *scilicet* impassibilis et natura incorporeus, quia tamen propter nos inhumanatus est, etiam fuisse in corpore, quod sibi sublimi et hypostatica unione univit, sicut et anima cuiuslibet ex nobis in proprio suo corpore *est;* imo, quo excellentius et verius dicam, et quod maius *est*: firmiter et sine controversia profitendum est illum, qui erat in corpore *ita natura* composito ut et circumcidi et gestari et comedere et lassescere et cruci affigi et pati et sepeliri *posset*, ipsum et circumcisum et gestatum esse, et comedisse et lassum fuisse et ligno affixum et passum et sepultum carne,

[1] *P. Gr.*, XXVI, 1053. — [2] *Ibid.*, 1060; cfr I PETR., III, 19.

secundum vocem sacrarum Scripturarum. Cuius enim proprium est corpus capax passionum, illius profecto propriae etiam aestimantur corporis passiones. Cui etiam *corpori* in sepulchro iacenti sublimi unione uniebatur *Verbum,* sepulchri corruptionem solvens, sicut et animae uniebatur, descendens ad inferos, — totum ubique praesens et, ut Deus omnino perfectus, prorsus individuum, — ut animas illic *constitutas* a vinculis diuturnis et ex quibus evadere non poterant, liberaret.

Et ea, quae diximus, rursus fas est videre manifesto, in epistula ad Epictetum: quae recitat sapiens *Athanasius sic: ATHANASIUS: « Unde ii quoque iam silebunt, qui aliquando dixerunt eum, qui ex Maria natus est, nec Christum, nec Dominum, nec Deum esse. Si enim Deus in corpore non erat, quomodo statim atque ex Maria natus est, vocatus est « Emmanuel, quod est interpretatum, nobiscum Deus[1] »? Quomodo autem, si Verbum in carne non erat, Paulus etiam ad Romanos scribebat: «Ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in saecula, amen[2] »? Itaque, qui prius negabant Deum esse eum, qui crucifixus est, fateantur et ipsi se errasse, fidem adhibentes omnes divinis Scripturis[3]. » Scripsit autem in sua de Spiritu sancto epistula, cuius initium est: « Litterae magnae caritatis tuae traditae sunt mihi in deserto[4] », hoc modo: ATHANASIUS: « Sed quemadmodum cum audimus: « esurivit et sitivit et percussae sunt genae eius », non negamus eius divinitatem: sic cum audimus: « creavit me », meminisse aequum est eum, cum Deus esset, hominem creatum esse. Hominum enim proprium est creari, sicut et cetera supra dicta: esurire et similia[5]. »

Similiter etiam in oratione catechetica de corporali manifestatione Domini et Salvatoris nostri Iesu Christi Filii Dei, quam adiunxit *orationi* de inventione atque abolitione idolorum, dixit haec: ATHANASIUS: « Cum igitur eum manducantem et bibentem et genitum dicunt, qui de istis theologice tractant, scito ipsum quidem corpus ut corpus genitum esse et congruentibus alimentis nutritum esse[6]. Dicuntur autem ista de illo, quia edens et genitum et patiens corpus non alterius cuiusdam, sed Domini erat, et quia, ubi factus erat, decebat * et haec *de illo* tanquam de homine dici, ut secundum veritatem, non autem secundum phantasiam, corpus habere videretur. Verum, quemadmodum ex his corporaliter adesse agnoscebatur, ita ex operibus, quae faciebat, semetipsum Filium Dei *esse* significabat[1]. » Et in oratione contra impiam Apollinarii sententiam de ipsa corporali manifestatione Christi, dixit sic: ATHANASIUS: « oeconomia clare etiam in cruce apparente: effusione quidem sanguinis carne firmiter asserta, voce autem facta anima quoque indicata, nullamque *hac voce* discessionem ostendente, sed corporis mortificationem significante, cum divinitas neque a corpore in sepulcro recesserit, neque ab anima in inferis separata sit. Illud enim est quod dictum est per prophetam: « Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem[2] ». Ideo et Dominus aiebat: « Nemo tollit eam a me, sed ego a meipso pono eam[3] », id est praesens declaro[4]. »

Itaque his omnibus praedicavit sanctus Athanasius « Deum in carne manifestatum », iuxta vocem sancti Apostoli[5], omnes humanas passiones absque peccato suscepisse atque pertulisse; evidens autem est *tantum usque* ad corpus patiendi capax experimentum passionum surrexisse, non autem accessisse ad divinam impassibilitatem illas *passiones* etiam absumentem. Quo igitur confugiet Tomus Leonis, qui hominem et Deum separat, dicens: LEO: « Esurire enim et sitire et lassescere et dormire, vere hominis est. Sed quinque panibus quinque milia hominum satiare, et largiri Samaritanae aquam vivam unde, cum biberit, praestabitur ei, ne * ultra sitiat; et supra dorsum maris pedibus non madefactis ambulare, fluctuum autem elationem increpando tempestatem sedare, sine ambiguitate Dei est[6] », rursusque interrogans: « Videat quae natura transfixa clavis fuerit, cum in ligno crucis penderet[7]. »

Iterum iste stultus alium locum apponit, ex oratione de oeconomia in carne, id est, *de oeconomia* manifestationis Dei Verbi, in qua compendiose habetur completa ex locis scripturisticis

Marginal notes: * p. 179. — * p. 180. — * p. 181.

[1] MATTH., I, 23. — [2] *Rom.*, IX, 5. — [3] *P. Gr.*, XXVI, 1065. — [4] *P. Gr.*, XXVI, 529. — [5] *Ibid.*, 621. — [6] Hic omissa sunt quaedam verba textus graeci vulgati.

[1] *P. Gr.*, XXV, 128. — [2] *Psalm.* XV, 10. — [3] IOH., X, 18. — [4] *P. Gr.*, XXVI, 1156. — [5] I *Tim.*, III, 16. — [6] *P. Lat.*, LIV, 769. — [7] *Ibid.*, 775.

enarratio circa sanctam et consubstantialem Trinitatem. Ille autem locus se habet sic: ATHANASIUS: « Et cum ait: « Pater, si possibile est, transeat calix iste: verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat [1] », et: « Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma [2] »: duas voluntates ibi ostendit, alteram quidem humanam, quae est carnis, alteram autem divinam. Humana quidem, propter carnis infirmitatem, passionem deprecatur; divina autem eius *voluntas* prompta est. Et sicut Petrus quoque, audiens de passione, timuit et dixit: « Absit a te, Domine », Dominus autem increpabat illum, dicens: « Vade post me satana, scandalum es mihi: quia non sapis ea, *quae* Dei *sunt*, sed ea, *quae* hominum [3] », ita et hic intelligitur. Nam in similitudine hominum factus deprecatur passionem, ut homo; Deus autem cum sit et secundum divinam substantiam impassibilis exsistat, prompte passionem et mortem excepit, quia impossibile erat eum a morte detineri. Deus enim cum sit in similitudine hominum, sua sponte moritur, et propria sua virtute resurgit ut Deus [4]. »

Pro more quidem nos, ut iam supra fecimus, ex multis optimisque codicibus loci sententias apposuimus, parum curantes ea, quae alio, * seu deficienti modo, in lamentabili libello ineruditi Grammatici apponuntur. At vero, quia pecuniae avidorum et auri cupiditate vere flagrantium instar, qui *aurum* in suo somno vident et omnia in aurum convertunt ad avidas animi cupiditates, iste quoque, ubicunque «duo» audierit, aures suas arrigit, et duplicitatis naturarum post indissecabilem unionem cupiditate flagrat, necesse est ad illius infirmitatem cum iisdem remediis et rationibus accedamus. Etenim, quia Doctorem audivit duas dicentem esse voluntates, alteram quidem timoris, humanam et quae ex carne causam habeat, alteram autem divinam ad patiendum promptam, putavit iste stultus Emmanuelem in duo dissecari. Quid ergo? Nonne hominem quoque nostri similem, qui una ex duobus, ex anima et ex corpore, natura et hypostasis est, videmus modo quidem requirentem ut nutriatur, et panis, vini aliorumque huiusmodi particeps fiat, et de his cogitantem, modo autem cibum materialem contemnentem et caelestibus

*p. 182.

[1] MATTH., XXVI, 39 et LUC., XXII, 42. — [2] MATTH., XXVI, 41. — [3] MATTH., XVI, 22-23. — [4] *P. Gr.*, XXVI, 1021.

cogitationibus vacare atque ad divinam similitudinem exaltari optantem? Numquid ergo simul cum istis duabus voluntatibus, quarum altera quidem quaerit quod carnis *est*, altera autem quod est animae ad imaginem Dei creatae, dividemus eum qui hoc et illud meditatur et quaerit, duasque naturas et hypostases dicemus eum, qui una ex utroque natura et hypostasis est? Sed derideremur propter amentiam *nostram*, si sic sentiremus. A fortiori igitur Christus in duas naturas non dividetur, cum unus ex duobus, divinitate et humanitate, sit, una persona et hypostasis, una natura Verbi incarnata et perfecte inhumanata, propterea quod duas in salvifica passione voluntates exhibuit, unam quidem * deprecantem, alteram autem promptam, et unam quidem humanam, alteram autem divinam. Ut enim voluntarie mortem suscepit in carne, quae passionem suscipere poterat, et imperium mortis solvit, illud per immortalitatem mortificando, — quod resurrectio lucide omnibus demonstravit: — ita in carne, quae timorem suscipere poterat, — nam etiam rationaliter animata erat, — voluntarie suscepit passionem timoris et infirmitatis, et verba deprecationis proferebat, ut per divinam alacritatem virtutem illius *timoris* destrueret atque in tota humanitate fortitudinem insereret, post primum Adam secundum generis nostri principium factus.

*p. 183.

Quod enim non divisim separet neque singillatim unicuique ex naturis propriam ipsius voluntatem tribuat, quemadmodum stulte putarunt ii, qui duas naturas post unionem confitentur, manifestissime ostendit *Athanasius*. Nam postquam dixit carnis voluntatem esse et illam, quae passionem deprecabatur, scripsit: ATHANASIUS: « alteram quidem humanam, quae est carnis ...Humana enim, propter carnis infirmitatem, passionem deprecatur [1]. » Ipse hanc voluntatem atque passionis deprecationem Dei Verbi esse ostendit, cum sic perrexit: « Nam in similitudine hominum factus, deprecatur passionem, ut homo [2] »; qui autem in similitudine hominum factus est, evidenter est Deus Verbum. Optime autem divinorum dogmatum Doctor deprecationem passionis vocavit « voluntatem », ostendens nobis quidem invitis et nolentibus id accidere, quod timeamus ac trepidemus a

[1] *P. Gr.*, XXVI, 1021. — [2] *Ibid.*

periculo, Christum autem volentem id suscipere. Quapropter voluntas re vera habebatur, non involuntaria passio. Quod autem ex duobus unum agnoscat *Christum,* neque discindat in duas

* p. 184. * voluntates ea, quae unius eiusdemque erant, Dei inhumanati dico, rursus statim ostendit, post locum *appositum* addendo sic: ATHANASIUS: « Dicit autem ipse quoque Apostolus alibi: « Passus est ex infirmitate, vivit autem ex virtute Dei[1]. » Virtus autem Dei est Filius, passus ex infirmitate, id est, ex carnali implicatione, et passionem deprecatus ut homo; vivens autem per suam virtutem[2]. » Implicabatur ergo carni rationabilem animam habenti Verbum Dei, neque dividebatur naturarum duplicitate post unionem. Etenim nomen illud « implicatio »[3], ut iam supra ostendimus[4], cum locos sancti Gregorii, episcopi nysseni, consideraremus, unum ex duobus inconfuse *exsistentem* exhibet: quam *formulam,* quae hypostaticam unionem demonstrat, synodus chalcedonensis reiecit. Itaque idem et humanitus *passionem* deprecabatur, dicendo: « Pater, si possibile est, transeat calix », et: « Caro infirma », et divinitus dicebat: « Spiritus promptus est », et sua sponte accedebat ad passionem: neque voluntates, neque voces duabus naturis et formis dividamus.

Alioquin sapiens Cyrillus, doctorem Athanasium secutus, nobis iterum dicet ea, quae ad Theodoretum scripta sunt in defensione anathematismi quarti sic: CYRILLUS: « Melius autem dixerim et longe eruditius esse voces humanas referre non ad alteram personam magis, quae intelligatur singillatim et seorsum Filius, ad formam servi, sicut illi dicere solent, sed illas potius tribuere mensuris humanitatis eius. Oportebat enim eum, cum sit simul Deus et homo, per utrumque sermonem proce-

* p. 185. dere[5]. » Omnes enim * sive passiones, sive efficacitates, sive sermones divinitati et humanitati congruentes, eiusdem unius Christi sint; neque, quia carnis proprium est naturaliter quod patiatur, ideo incarnati et inhumanati Verbi proprias non aestimabimus humanas passiones, *itemque non proprium* quod humanitus loquatur. Neque vicissim quia divinitatis proprium est, quod divina operetur et loquatur, ideo impie carnem dividemus

[1] II *Cor.*, XIII, 4. — [2] *P. Gr.*, XXVI, 1024. — [3] συμπλοκή. — [4] Cfr supra, p. 92. — [5] *P. Gr.*, LXXVI, 413.

et, ut ita dicam, vi a Verbo avellemus *et* ab efficacitatibus et sermonibus Deum decentibus alienam efficiemus. Incarnatum enim Verbum haec operabatur et loquebatur, cum hypostatice uniretur corpori et per congermanitatem[1] haberet *illud tanquam* organum ad opera, — sicut et anima uniuscuiusque ex nobis proprium corpus *tanquam organum* sortitur, — non autem, iuxta Nestorii deliramenta, per hominem deiferum ab extra operabatur *Verbum,* neque sicut artifex quidam manibus laborans instrumento artis suae utitur eoque opus efficit, aut sicut citharaedus citharam pulsat.

Et haec Doctor *dicit* in oratione tertia libri adversus Arianos de sancta Trinitate, — quemadmodum etiam recolit sanctus Cyrillus, in defensione capituli undecimi, adversus reprehensionem Andreae defensionem struens[2]: ATHANASIUS: « Haec primum necessario expendimus, ut si eum viderimus per organum, per proprium corpus, divinitus agentem vel loquentem, rursus agnoscamus eum, cum Deus sit, ista efficere; rursusque, si eum viderimus humanitus loquentem vel patientem, nos non fugiat eum, cum carnem induerit et homo factus sit, illa etiam sic operari et loqui. Proprium enim utriusque * agnoscentes et * p. 186. utrumque ab uno peragi considerantes atque intelligentes, recte credimus, nec unquam errabimus. At si quis ea, quae divinitus a Verbo facta sunt, videns negaverit corpus, aut ea, quae corporis propria sunt, videns negaverit adventum Verbi in carne, aut ex humanis abiecta de Verbo senserit, talis haud secus ac iudaicus caupo vinum cum aqua miscens, scandalum reputabit crucem, et sicut gentilis stultitiam esse praedicationem censebit[3]: quod et Dei hostibus Arianis accidit. Cum enim humana Salvatoris nostri viderent, eum creaturam esse arbitrati sunt. Oportebat ergo eos, divina quoque Verbi opera intuitos, corporis eius procreationem negare, seque deinceps Manichaeis adnumerare. Verum vel saltem sero discant Verbum carnem factum esse; nos autem fidei scopum retinentes, agnoscimus eorum, quae illi male intelligunt, rectam esse significationem[4]. »

Haec nos quoque decet dicere ad Grammaticum et ad eos,

[1] συμφυΐα. — [2] *P. Gr.*, LXXVI, 376. — [3] Cfr I *Cor.*, I, 23. — [4] *P. Gr.*, XXVI, 397.

qui eandem ac ipse impietatem olim sectati sunt et nunc adhuc sectantur: qui male sentire audent et in id, quod sibi placet, mutant ea, quae rectum sensum habent et ipsorum impietatem patefaciunt. Cum enim apostolicus Pater Athanasius dixerit quod utrumque, tum ea quae secundum naturam propria sunt carnis, tum ea, quae secundum naturam propria sunt divinitatis, agnoscentes, et utrumque ab uno peragi considerantes atque intelligentes, recte credimus, nec unquam errabimus: ubinam ponet *Grammaticus* Tomum Leonis, qui duas ponit formas agentes et operantes sua propria sicque inter se communicantes in iis, quae singillatim aguntur et efficiuntur ab unaquaque * ex illis, evidenter per affinitatem ex habitudine et familiaritate *exortam*? Quod enim singillatim ab una ex illis efficitur et agitur, alterius commune censeri et esse aliter nequit, nisi hac tantum ratione: LEO: « Agit enim, ait, utraque forma, cum alterius communione quod proprium est [1].» Ac forsan timens ne quis, propter communionis nomen, putaret non utramque formam divise et singillatim agere et operari, in sequentibus manifestam et evidentiorem impietatem statuit; addit enim: LEO: « Verbo operante quod Verbi est, corpore autem exequente quae corporis propria sunt. Unum horum coruscat miraculis, aliud autem succumbit iniuriis [2]. »

Quomodo autem futurum non fuisset ut talia adiceret et huiusmodi habitudinis communionem induceret illarum formarum sua propria agentium, qui prius dixerat veram esse unionem qua Deus quidem per misericordem voluntatem cum homine est, quin tamen sit mutatus, homo autem magnitudine divinae dignitatis dignatus non consumptus est? Dixit enim: LEO: « Et nullum est in hac unitate mendacium, dum invicem sunt et humilitas hominis et altitudo deitatis. Sicut enim cum Deus miseratur, mutatio ei non accidit, ita neque homo magnitudine dignitatis consumptus est [3]. » Postquam autem illa dixit, tunc subiunxit: LEO: « Agit enim utraque forma cum alterius communione quod proprium est [4] », ostenditque ea, quae ex dignitate concipitur, unione ipsam quoque formarum communionem haberi, ipsasque * formas a se vocari personas,

[1] *P. Lat.*, LIV, 767. — [2] *Ibid.* — [3] *Ibid.* — [4] *Ibid.*

* p. 187.
* p. 188.

Dei *nempe*, qui miserando non mutatur, et hominis, qui magnitudine dignitatis non consumitur. Et huc quidem inducit utramque formam agentem et operantem sua propria, et *dicit* unam quidem coruscare miraculis, alteram autem succumbere iniuriis. In ceteris autem utramque rursus inducit naturam sua propria loquentem, et divisa verba adscribit illis *naturis*: quae fuse confutata sunt in antea consideratis: LEO: « Non enim eiusdem naturae est dicere: « Ego et Pater meus unum sumus », et dicere: « Pater meus maior me est [1] ».

Apostolicus autem Doctor Athanasius ipsum dixit Verbum divinitus operari et agere, tanquam per organum, per proprium suum corpus, ipsumque Verbum humanitus et pati et loqui humana; quemadmodum sanctus quoque Cyrillus in tomo secundo adversus blasphemias Nestorii scripsit: CYRILLUS: « At vero tanquam organo dicis, ut videtur, Verbum corpore usum esse. Sed si unum quidem Filium dicis, unamque hypostasim Verbi incarnatam, non ipse erit divinitatis organum, sed potius tanquam organo utetur proprio corpore, ut *nimirum facit* ipsa hominis anima [2]. » Et in prima synodica epistula ad illum, immundam hac de re sententiam illius redarguens, dixit sic: CYRILLUS: « Accesserunt enim nonnulli ad hoc, quod iam non patiantur confiteri Christum esse Deum, sed potius divinitatis organum et instrumentum hominemque deiferum [3]. »

Quomodo igitur ausus es, o immunde Grammatice, vocum magni Athanasii, quae impietatem tuam patefaciunt, in lamentabili tuo libello mentionem facere? * Supervacaneo autem interrogationem ad te dirigo, cum adeo inerudite te habeas et sensu careas eorum, quae possent pudorem inicere vel ignorantiam corrigere; qui putasti, propterea quod secundum utramque rationem Emmanuel oeconomiam disposuit, et modo quidem humanitus dixit: « Caro infirma », modo autem divinitus *dixit*: « Spiritus promptus », et utrumque simul et coniunctim, illum in duas naturas seu formas post inexplicabilem unionem dissecari, in unam quidem *naturam*, quae timet, in alteram autem, quae prompta est et passiones contem-

[1] *P. Lat.*, LIV, 769. — [2] *P. Gr.*, LXXVI, 93. — [3] *P. Gr.*, LXXVII, 41.

* p. 189.

nit, et uni quidem *naturae* ut humana, alteri autem ut divina loqueretur, obtigisse, illasque *naturas* repugnantibus voluntatibus discindi. At vero hanc impietatis sententiam evertit Doctor, iis verbis, quae apposuisti, — quae ex ineruditione non intelligis, — et iis, quae ipsi adduximus; et ostendit unius Dei immutabiliter incarnati et inhumanati omnia esse, quae Deum decent et humana, et propter sanationem nostram eum per oeconomiam suscepisse nostram timoris passionem, ut eam prorsus auferret ab universa humanitate, quemadmodum sua morte destruxit mortem, quae adversus nos omnes praevaluerat. Etenim in oratione tertia libri adversus Arianos de sancta Trinitate scripsit haec: ATHANASIUS: « Ut enim morte mortem delevit, humanitusque omnia humana, ita consueto timore[1] timorem nostrum abstulit fecitque ut homines mortem iam non reformidarent. Dicebat enim haec simulque faciebat; nam humana quidem erant dicere: « Transeat calix » et *dicere*: « Ut quid me dereliquisti? », divinitus autem idem efficiebat ut sol obscuraretur et mortui resurgerent[2]. »

* p. 190. * Ecce trium doctorum, Basilii, Gregorii et Athanasii, locos in primo ordine ab immundo Grammatico appositos, — cum ante ceteros appositi sint instar invincibilium quorumdam armatorum in fronte exercitus, ut putavit, — ordinem ipsius sequendo dissipavi, non autem, ut quis dicere posset, *eos* eligendo et seponendo et *in* eos tanquam in *solutu* faciliores incurrendo. Clarissime ipsis sententiis ostendi, iuxta mensuram parvitatis meae, illis *locis* patefieri impietatem eorum, qui Emmanuelem in duas naturas post ineffabilem unionem dissecant. Rursus autem ostendi quomodo voces pietatis praeconis apostolicae fidei lacerent, dissecent, immutent, mendacibus titulis abscondant, confutationes effugere conati, et falsos *locos* confingant et Patrum nominibus signent, cum genuinis eorum scriptis adversentur atque repugnent. Et his ita ostensis, iam potest unusquisque ex orthodoxis, eodem modo eorum *Patrum* libros et orationes, quas *isti* dissecuerunt, integre in medium proferendo, demonstrare quomodo isti blasphematores ceteros quoque locos stulte et inerudite adversus semetipsos adducant.

[1] Graece: τῇ νομιζομένῃ δειλίᾳ. — [2] *P. Gr.*, XXVI, 444.

Non autem ab re est nos aliis quoque *locis* occurrere, ex iis qui in lamentabili Grammatici libello reponuntur. Locos quidem celebratissimi Ambrosii, qui sanctae ecclesiae mediolanensis episcopus fuit, iam consideravimus[1]; illos quoque ostendimus adulteratos esse a Grammatico et a Scythopolitano, propriae impietatis defensoribus, et *demonstravimus* istos ne inter se quidem in ipsa fictione concordasse.

CAPUT TRICESIMUM QUARTUM

* p. 191.

Loci Amphilochii similiter redarguentes impietatem et mendacium eorum, qui illos adducunt eiusque, qui illos exscripsit, atque rectae sententiae vim ostendentes; quibus ostenditur eadem inspiratarum Scripturarum verba ad ipsorum impietatem tum ab Arianis, tum a diphysitis et diprosopitis transferri.

Cum autem Grammaticus postea locos apposuerit Amphilochii, qui fuit episcopus iconiensis, age, illos quoque pro posse nostro consideremus. Ex quibus primum quidem dicit esse ex epistula ad Seleucum, nepotem Traiani[2]. At nos, Dei amantissimi Amphilochii opera plurimum legentes, unam eius ad Seleucum epistulam novimus, ubique celebratissimam, metricis commatibus scriptam[3]. Aliam autem ad Seleucum epistulam, neque ipse legi, neque a quoquam alio ex iis, qui divina callent, lectam esse comperi. Itaque supervacaneum est de ignotis frustra decertare, cum ex notis agnoscere possimus Doctoris orthodoxiam et redarguere impietatem eorum, qui male sentiunt de Deo[4].

Secundum autem eius locum apposuit Grammaticus[5], nullo imposito titulo qui indicet ex quonam libello aut *ex quanam* oratione sit: omnes enim *textus*, quos dolose apposuerunt, ita dolose tractarunt, ut lateret fictio adversus veritatem *perpetrata*. Iste tamen ineruditus id, quod prompte invenit, citius

[1] Cfr cap. XVII, supra t. I, p. 196 et seq. — [2] Sic dictam Amphilochii epistulam in christologicis disputationibus adhibitam videas, v. gr., *P. Gr.*, LXXXVI, 1837 et LXXXIX, 145 et 156. — [3] Intendit Severus *Iambos ad Seleucum*, *P. Gr.*, XXXVII, 1577. — [4] Cfr *Sap.*, XIV, 30. — [5] Hunc locum adductum esse a Grammatico testatur Eustathius monachus; cfr *P. Gr.*, LXXXVI, 913.

apposuit, cum non legisset illud, neque consideravisset undenam haberetur. Reperitur autem *locus* in homilia, cui inscribitur: * « Adversus Arianos [1]; ex evangelio Iohannis, de eo quod: Pater, qui misit me, maior me est [2] »; sic autem se habet: AMPHILOCHII *locus,* QUEM ADDUXIT GRAMMATICUS: « Discerne de cetero naturas, tum Dei, tum hominis *naturam*: neque enim per lapsum ex Deo factus est homo, neque per profectum ex homine Deus. Deum autem et hominem dicens, da passiones carni et miracula Deo [3]. »

* p. 192.

Iam in antea consideratis manifesto ostendi [4] omnes pietatis doctores verba facientes adversus atheos Arianos, qui per vim conabantur praeter veritatem humiles sermones atque passiones, inhumanationi et voluntariae paupertati congruentes, ad essentiam saeculis antiquiorem Unigeniti et ad nudam atque carnis expertem divinitatem evehere, redarguisse impietatem eorum tempora recte distinguendo, *scilicet tempus* ante inhumanationem et *tempus* post inhumanationem, et ostendendo prorsus non convenire passiones humilesque sermones Deo Verbo absque carne intellecto et ante inhumanationem concepto, miracula vero ipsi convenire secundum naturam Deo incarnato. Etenim docebant distinguendas esse naturas temporum comparatione, et intelligendum esse quae sit Dei carne destituti natura et quae natura *Dei* secundum oeconomiam immutabiliter hominis facti [5]. Et haec ita se habere manifesto confirmat Doctor proprio sermone dicens ante locum sic: AMPHILOCHIUS: « Proinde quando audis: « Pater, qui misit me, maior me est », cogita quisnam sit, qui dixerit. Utrum ergo horum? Deus solus, an homo solus, an utrumque, Deus et homo, Deus quidem ante oeconomiam, homo vero propter oeconomiam [6]? »

* En manifesto tempus ante oeconomiam et *tempus* post oeconomiam distinguit, dicendo: « Deus quidem ante oeconomiam, homo vero propter oeconomiam »; et quod *Christus* dicat: « Pater, qui misit me, maior me est », alienum dicit a Deo Verbo priusquam homo fieret, tunc autem illi merito convenire cum propter nos homo factus est. Et ita deinde secundum temporis comparationem perrexit dicens: Discerne de cetero naturas, *naturam* Dei singillatim et extra implicationem carnis concepti, et *naturam Dei* hominis facti iamque immutabiliter inhumanati. Insuper effatis illis, quae loco *allegato* adiuncta sunt, Doctor lucide ostendit se tempora discernere, non autem Deum Verbum semel inhumanatum dualitate naturarum post ineffabilem unionem dividere.

* p. 193.

[1] Cfr *P. Gr.*, LXXXVI, 1837. — [2] Cfr *P. Gr.*, LXXXVI, 913. — [3] Cfr *P. Gr.*, XXXIX, 109, ubi tamen aliter effertur ultimum membrum textus. — [4] Cfr supra, cap. XXXI, p. 86. — [5] Verba Severi, inde ab initio huius paragraphi, graece habentur in *P. Gr.*, LXXXVI, 913. — [6] Locum non repperi.

Quid enim dicit? AMPHILOCHIUS: « Cum autem passiones carni dederis et miracula Deo, necessario etiam invitus tribues humiles quidem sermones homini, qui ex Maria, sublimes autem ac Deo dignos Verbo, quod in principio erat [1]. » Proinde ipsum sibimet secundum tempus comparatur, quod in principio quidem et aeterno est Verbum, novissimis autem diebus ex Maria homo factum est. Et ut Deus quidem ante saecula, miracula et verba Deo digna sibi vindicat; homo vero postea factus, convenienter ipsas quoque passiones atque humiles sermones sibi vindicat. Secus autem si, iuxta sententiam impiorum, dixerimus Doctorem praedictis verbis iam inhumanatum Verbum in duas naturas dividere, deprehendetur *ut* qui duas naturas in duas converterit personas, *scilicet* in Verbum, quod ex Deo est, atque in hominem, qui ex Maria, sicut * et illi *impii* facere solent. Dixit enim: AMPHILOCHIUS: « Necessario etiam invitus tribues humiles quidem sermones homini, qui ex Maria, sublimes autem ac Deo dignos Verbo, quod *erat* in principio [2]. »

* p. 194.

At procul ab ista abominanda sententia consistunt interpretes pietatis, non quidem Emmanuelem dividentes, sed illum sibimet secundum tempus comparantes, prius carne destitutum et postea incarnatum. Cum ergo dicunt: « Homini, qui ex Maria, aut carni tribue humiles sermones et passiones », ipsum dicunt Verbum propter nos immutabiliter ex Maria hominem factum et hypostatice unitum carni anima rationali praeditae atque passionum capaci. Idque sanctus Athanasius, in prima oratione libri contra Arianos de sancta Trinitate manifestissime

[1] *P. Gr.*, XXXIX, 109. — [2] *Ibid.*

ostendit sic: ATHANASIUS: « Itaque, « Iesus Christus heri et hodie idem est et in saecula [1] »; immutabilis manet idemque est, qui dat et accipit: dans quidem ut Verbum Dei, accipiens autem ut homo. Non utique Verbum, ut Verbum est, in melius proficit, nam omnia habebat et habet; sed homines sunt, qui initium accipiendi in ipso et per ipsum habent. Cum enim ille nunc humanitus ungi dicitur, nos sumus qui in illo ungimur, siquidem illo quoque baptizato, nos sumus qui in illo baptizamur [2]. »

Itaque idem est, qui secundum tempus sibimet comparatur. Nam qui nunc dicitur humanitus * unctus et baptizatus, ipse etiam propter nos sustinuit id quod, quatenus Verbum et Deus erat et priusquam homo fieret, ipsi non conveniebat, *scilicet* ut acciperet et ungeretur et baptizaretur. Igitur secundum temporalem comparationem, in hac ipsa oratione, de Arianis haec etiam dicit: ATHANASIUS: « Nihil aliud audire digni sunt, quam: « Erratis, nescientes Scripturas neque virtutem Dei [3] ». Quodsi rursus persistant, erubescant audientes: tribue quae hominis sunt, homini et quae Dei sunt, Deo [4]. » Hoc autem *effatum* si quis non, iuxta Doctoris dicta, intellexerit secundum distinctionem temporum, scilicet *temporis* ante inhumanationem et *temporis* post inhumanationem, ita ut ei ut Deo quidem priusquam carni implicatus est, Deo digna tribuat, eidem autem rursus tanquam homini facto *tribuat* ea, quae homini conveniunt, eaque omnia, quae voluntariae *sunt* exinanitionis, deprehendetur *ut* qui dissecat Emmanuelem in hominem et Deum: quod curae est istis impiis. At in secunda quoque oratione eiusdem libri contra Arianos de sancta Trinitate permultis ostendit *Athanasius* se iuxta temporum distinctionem talia dicere, non autem ad *stabiliendam* divisionem Unigeniti Verbi immutabiliter et indivisibiliter incarnati in duas naturas. Ex quibus *effatis* sunt et haec: ATHANASIUS: « Sic ergo posset aliquis illorum impudentiam aggredi et ex hac sola dictione: « fecit », errantes illos atque Verbum Dei facturam esse censentes redarguere. At cum etiam rectus sit sensus eorum, quae scripta sunt, ostendatque quandonam et ad quid vox « fecit » dicta intelli-

* p. 195.

[1] *Hebr.*, XIII, 8. — [2] *P. Gr.*, XXVI, 112. — [3] MATTH., XXII, 29. — [4] *P. Gr.*, XXVI, 121; cfr MATTH., XXII, 21.

gatur, necesse est etiam ex ipsa ostendere haereticorum stupiditatem, * maxime si, ut in praecedentibus diximus, illius etiam tempus et usum accipiamus. Non igitur ea, quae ante creationem, sed quae postquam Verbum caro factum est, *facta sunt*, enarrans Apostolus illa dixit [1]. » RURSUSQUE, POST ALIA: « Itaque si Dominus homo non est factus, decertent Ariani; sin autem Verbum caro factum est, quid de homine facto dicendum erat, nisi: « qui fidelis est ei, qui illum fecit [2] »? Ut enim Verbi proprium est quod de illo dicatur: « In principio erat Verbum [3] », ita hominum proprium est fieri et effici [4]. »

* p. 196.

Quapropter ii, qui Salvatorem Christum dualitate naturarum post unionem dividunt, titulos orationum ex quibus laceros locos adducunt, abscondunt atque mutant, ne ea, quae Patres Arianos impugnando atque tempora distinguendo dixerunt, ipsi ad inexplicabilis incarnationis divisionem adulterantes agnoscantur. Etenim iisdem etiam sanctae Scripturae effatis tum Ariani, tum anthropolatrae, tum iudaismo dediti, adversus rectam sententiam armantur; omnia humilia et humanitati atque voluntariae Salvatoris nostri paupertati convenientia colligunt: et illi quidem ea singillatim ad Verbum ut Deum carnis expertem referunt, ut per haec Ipsum Patre minorem exhibeant et a divina substantia abscindant; hi autem illa, oeconomica dico atque demissa, homini qui ex Maria, vel, ut dicere solent, humanae naturae et servi formae tribuunt, * ut Unigenitum et saeculis antiquiorem Filium misericordi exinanitione spolient, neque ipse per proprias passiones suamque resurrectionem, sed homo, nos salvasse credatur.

* p. 197.

Contra quos, propter impudentiam eorum, reverendissimus Amphilochius, in oratione cui titulus: « Contra Arianos; de illo effato: Quid me dicis bonum? Nemo bonus, nisi unus Deus [5] », ubi ostendit incarnati Verbi esse et passiones et mortem et corpus et sanguinem, Ipsumque esse quod a nobis mystice manducatur, scripsit et haec: AMPHILOCHIUS: « Non sum bonus, o haeretice? Surripis divinitatem meam, et taceo; furaris nobilitatem meam, et quiesco; separas me a Patre meo, et patientem me praebeo; cum creaturis me reponis, et

[1] *P. Gr.*, XXVI, 160. — [2] *Hebr.*, III, 2. — [3] IOH., I, 1. — [4] *P. Gr.*, XXVI, 164. — [5] MARC., X, 18; LUC., XVIII, 19.

non reclamo; me, Dominum, vocas servum, et suffero! Sed post haec omnia, ex benignitate et patientia et tolerantia mea audax factus, atque secundum impaenitens cor tuum thesaurizans tibi thesaurum malum [1], me, qui bonus sum, non bonum dicis! Non sum bonus, haeretice, qui homo factus sum propter vos et ipse me in cibum dedi? Perfide, saltem sanguinem meum reverere; saltem in corpore meo erubesce; saltem canum generositatem imitare: siquidem canes, etsi de micis *tantum* mensarum dominorum suorum edunt [2], necessitate urgente vitam suam prompte tradunt, ne dominus ipsorum captivus fiat; vos autem, qui corpus meum comeditis et sanguinem meum bibitis, ne tantum quidem honoris ei, qui pro vobis subiit mortem, exhibetis quantum amoris canes dominis suis servant, immo vero, benignitati meae obtrectatis, sermones meos contra meipsum detorquentes [3]. »

* p. 198.

CAPUT TRICESIMUM QUINTUM

Loci Cyrilli, episcopi Alexandrini, similiter redarguentes mendacium et impietatem eorum, qui illos adducunt eiusque, qui illos exscripsit, atque veritatis vim ostendentes. Et quod, cum Doctor « naturam hominis » dixerit universum hominum genus, isti blasphematores hanc vocem ad separationem unius Christi in duas naturas post inexplicabilem unionem convertere conantur.

Deinde apponit Grammaticus locum sancti Cyrilli, magnae et Christi amantissimae civitatis Alexandrinorum episcopi atque, ut mos eius est, mendaci titulo illum inscribit sic: Grammatici *verba* de Cyrillo: « Cyrilli; ex oratione de inhumanatione Unigeniti [4]. » Hoc autem oscitationem ostendit istius impii, inerudití atque inconsiderati qui, ut antea dixi, ex alienis lamentabilem istum libellum collegit. Etenim multa quidem et diversa de inhumanatione Unigeniti opera sapiens Cyrillus conscripsit et vulgavit, sed unumquodque eorum speciali quodam titulo designavit: unum quidem «Adversus Nestorii blasphemias», aliud autem « Quod unus Christus », et aliud aliter, distincteque singula inscripsit, etsi unum idemque communiter est argumentum eorum, ut finis quoque congruens unicuique ex operibus evidens fieret. Reperitur autem ipsius etiam oratio, id est, interpretatio, per modum ecclesiasticae expositionis dicta, cui titulus: « De inhumanatione Unigeniti », cuius initium est: « Profundum quidem et magnum reque vera admirabile *est* * mysterium pietatis [1] »; at locus, quem iste egregius apposuit, in hac oratione non habetur, — secus enim assereretur ita inscripta ut reapse inscripta est; — sed in opere Scholiorum reperitur, atque ponitur post scholion cui titulus: « Quod Christus Iesus vocatur atque dicitur Verbum Dei homo factum [2] »; ipsa autem Scholia « De inhumanatione Unigeniti » et elaborantur et inscribuntur [3]. Locus autem sic se habet: Cyrillus: « Igitur non oportet discernere unum Dominum Iesum Christum in hominem singillatim et Deum singillatim; sed unum eundemque Iesum Christum esse dicimus, naturarum differentiam agnoscentes, illasque inconfusas inter se servantes [4]. »

* p. 199.

Itaque, primum quidem sciendum est Grammaticum, cum in genuina scriptura habeatur: « Non oportet discernere [5] », scripsisse: « Non oportet dividere [6] ». Hoc autem dixi non, sicut aliquis putare posset, de minimis [cavillationes movens [7]], sed vel ex iis, quae frigida et negligenda aestimantur, ostendere volens *Grammaticum* ne unum quidem, ut ita dicam, librum legisse sed, cum alienis excerptis forte occurrisset, elatum esse ut scripto blasphemaret et impiis quasi ipso die enatum [8] scriptorem factum esse. Multis autem iam antea ostendimus eos, qui diphysitici erroris Nestorii calicem biberunt, vehementer contendere ut, cum differentia naturarum, ex quibus ineffabiliter et supra omnem cogitationem unus Christus compingitur, divisionem naturarum inducant. At vero, non ideo quod secundum substantiam diversae et inter se inconfusae sunt divinitas et humanitas, ex quibus Emmanuel *constituitur*, ipse ex utraque prorsus unus in duas naturas dividitur * post unionem. Etenim et ipse homo nostri similis, ex duobus constans secundum naturam di-

* p. 200.

[1] Cfr *Rom.*, II, 5. — [2] Cfr Matth., xv, 27. — [3] Locum non repperi. — [4] Nota textum mox allegandum reperiri in *P. Gr.*, LXXXVI, 1829 sub titulo: ἐκ τῆς περὶ ἐνανθρωπήσεως ἐπιστολῆς.

[1] *P. Gr.*, LXXVII, 1089. — [2] *P. Gr.*, LXXVI, 1383. — [3] Cfr *ibid.*, 1369. — [4] *Ibid.*, 1385. — [5] οὐ διοριστέον. — [6] οὐ διαιρετέον; cfr, v. gr., *P. Gr.*, LXXXVI, 1829. — [7] His aut similibus supplenda sunt ea, quae in textu manifeste desiderantur. — [8] ἐφημέριος.

versis et invicem non consubstantialibus, ex anima scilicet et corpore, una est natura composita unaque hypostasis. Quemadmodum igitur audisti sanctum Cyrillum docentem nos agnoscere naturarum differentiam, sic audi illum in iisdem Scholiis docentem quid sit « unum Dominum Iesum Christum non discernere », id est, illum « ex duabus naturis » confiteri: quam *confessionem* cum synodus chalcedonensis reiecerit, ipsis rebus pronuntiavit et proclamavit se « discernere unum Christum » duplicitate naturarum post unionem.

Scripsit autem Doctor, in Scholio cui titulus: « Quomodo oporteat intelligere « Verbum caro factum est et habitavit in nobis », et quomodo mittatur Verbum, cum Deus sit, et quomodo proprium ipsius dicatur corpus[1] », haec: « Si autem oportet tanquam in speculum intuentes aliquid dicamus: coniectat intellectus humanus unitum fuisse Verbum corpori habenti animam rationabilem qualiter etiam *unita est* hominis anima proprio corpori: quae quidem diversa est secundum naturam, ita tamen sortita est communionem et unionem ad ipsum[2], ut iam censeatur quasi non alia ab ipso, eo quod per compositionem unum ex utroque animal absolutum sit, ipsa tamen, ut dixi, manente in propria sua natura. Ergo non per conversionem aut commutationem hominem factum esse Dei Verbum dicimus, neque quasi desierit esse Deus, nullo modo! sed quod, cum carnem assumpserit ex muliere illique ex utero unitus sit, natus est atque idem est Deus et homo[3]. » Similiter etiam in secunda ad Succensum epistula: CYRILLUS: « Non enim de iis tantum, quae sunt secundum naturam simplicia, * [p. 201.] « unum » vere dicitur, sed etiam de iis, quae secundum compositionem congregantur: quemadmodum ipse homo aliqua res est ex anima et corpore. Nam diversae secundum speciem sunt istae res, minimeque inter consubstantiales; ubi autem unitae sunt, unam hominis naturam absolverunt, quamvis in compositionis ratione adsit naturalis differentia eorum, quae ad unitatem adducta sunt[4]. »

[1] Cfr *P. Gr.*, LXXV, 1396; totum titulum graece reperies apud E. SCHWARTZ, *Acta conciliorum oecumenicorum*, t. I, vol. V, pars prior, p. 231. — [2] Hucusque locus graece exhibetur apud E. SCHWARTZ, *loc. cit.*, p. 228. — [3] *P. Gr.*, LXXVII, 1397 (latine tantum). — [4] *P. Gr.*, LXXVII, 241.

Rursus iste rerum divinarum ignarus et impius locum apponit eiusdem sancti Cyrilli, e primo libro operis « Thesauri », de eo quod consubstantialis Patri sit Filius, posita sententia: « Vado ad Patrem meum et Patrem vestrum, et Deum meum et Deum vestrum[1] ». Illum autem locum in capitulo centesimo nonagesimo septimo apposuerunt ii, qui contra sapientem Cyrillum composuerunt impium et calumniosum librum adversus quem parvitas mea Philalethen conscripsit. Sic autem se habet: CYRILLI *locus*, QUEM ADDUXIT GRAMMATICUS: « Si Filius, cum in forma Dei exsisteret et in aequalitate, ut scriptum est[2], semetipsum humiliavit, formam servi accipiens et habitu inventus ut homo, humiliationis erunt verba servituti congruentia, non ad substantiam ipsius pertingentia, sed inhumanationis personae[3] imposita[4]. »

Utrumque locum apponendo iste miser putat se validam quamdam et inexpugnabilem arcem adversus veritatem constituere. Verum ista verba, ut primum excussa[5] et emergentia sensum suum ostendunt, impietatem quidem obruunt, nobis autem, qui hostes illius sumus, dulcem praebent fructum sapientiae quae in ipsis *inest*, ita ut peropportune praecinere possit quis ad istum ignarum id, quod dictum est ab uno ex * [p. 202.] prophetis: « Omnes munitiones tuae ficus speculatores habentes[6]; si concussae fuerint, cadent in os comedentis[7]. » Quis enim ex orthodoxis et sapientibus ignorat hunc quoque Thesauri locum impugnare infandos Arianos, qui humilia et demissa adventus in carne ad subsistentiam Verbi saeculis antiquioris referre volebant? Ideo Doctor, temporali distinctione usus et quasi digito ostendens substantiam Unigeniti, qui est super omnia saecula, tempusque inhumanationis novissimis diebus *peractae*, dixit humilia et servituti congruentia non pertingere ad substantiam illius, sed demitti ad tempus inhumanationis, et personae eius imponi. Persona autem inhumanationis propria procul dubio est Deus inhumanatus, sibimet prius non inhumanato et absque carne intellecto comparatus, ipsa temporum distinctione diprosopiticam speciem inducente, — Patrem enim Deum

[1] *P. Gr.*, LXXVI, 117; IOH., XX, 17. — [2] Cfr *Philipp.*, II, 6-7. — [3] τῷ τῆς ἐνανθρωπήσεως προσώπῳ. — [4] *P. Gr.*, LXXVI, 120. — [5] in ventilabro. — [6] Iuxta LXX: σκοποὺς ἔχουσαι. — [7] NAH., III, 12.

suum vocat, quia homo factus est: quod dicere non poterat priusquam homo fieret, — cum *tamen* unus idemque sit, prius quidem simplex et incorporeus, postea vero propter oeconomiam propter nos *susceptam* compositus atque corporeus. Quis ergo non abhorrebit eos, qui post unionem dualitate naturarum Emmanuelem dividunt? Undique convincuntur ea, quae adversus Arianos a Patribus dicta sunt temporalemque distinctionem obtinent, ad indissecabilem incarnationem referre, ut in duas formas et naturas atque personas, ut dicere solent, incarnatum Deum Verbum dividant.

* p. 203. * Sufficeret quidem ad impietatis confutationem ille locus, qui temporum distinctionem manifeste significat; hanc ipsam autem maxima copia clarissime ostendit per eas etiam sententias, quae locum *adductum* praecedunt, statim ut effatum Evangelii apposuit, sic: CYRILLUS: « Cum Dei Verbum hominis formam induit et propter salutem omnium nostrum, cum in forma Dei esset, ut scriptum est[1], humiliavit semetipsum, tunc ut homo interdum loquitur, nihil eam ob causam in divina gloria laesum. Si enim vere homo factum est, neque idcirco desiit esse Deus, etsi homo factum ea, quae homini congruunt, loquitur, non idcirco divinae dignitatis suae damnum sustinet, sed rursus idem est, humilitate quae in verbis habetur ad oeconomiam relata[2]. » SIMILITER ETIAM IN SENTENTIIS, QUAE LOCUM SEQUUNTUR: « Non enim ex iis, quae ut homo secundum oeconomiam loquitur, incorporea substantia repraesentatur[3]. » RURSUSQUE, POST PAUCA: « Si quis inhumanationis sermones et res nudo ante inhumanationem Verbo accommodare velit, admodum impie faciet[4]. » ET ITERUM, POST PAUCA: « Concedatur autem oeconomiae cum carne quod interdum loquatur etiam ea, quae non congruunt nudae et seorsum constitutae divinitati. Cum igitur ut homo dicit se non ita esse bonum ut Pater, illud etiam ad oeconomiam cum carne potius referatur[5]. » Et in libro quinto operis de sancta Trinitate ad Hermiam sic dixit: CYRILLUS: « Utrum ergo, — etenim rogabo, — ii sapientes et acuti censeri debeant, * p. 204. qui διφυᾶ * et διπρόσωπον in his sermonem admittunt et aptis temporibus [mysteriorum][6] explicationem tribuunt[7]? » ET POST

[1] Cfr *Philipp.*, II 6, 8. — [2] *P. Gr.*, LXXV, 117. — [3] *Ibid.*, 120. — [4] *Ibid.* — [5] *Ibid.*, 121. — [6] Vox hoc loco casu, ut videtur, omissa; cfr supra, p. 101. — [7] *P. Gr.*, LXXV, 933.

ALIA: « Removeamus ergo iniquitatis crimen et impietatis culpationes, haec quidem omnia, quae Deum decent et nostram naturam exsuperant, Filio nondum secundum nos facto tribuentes, illa autem omnia, quae depressam nobisque propriam acceptionem habent, secundum oeconomiam adducentes illaque, ut scriptum est[1], in captivitatem redigentes in obsequium eius[2]. »

Haec autem omnia iam in praecedentibus fuse apposuimus; propter impietatis audaciam quae compluries ad similia redit, necesse fuit nos eorundem, ut potuimus, paucis mentionem facere atque ostendere quomodo isti diphysitae et diprosopitae temporum distinctionem ad inhumanationis sectionem astute transferant, ut incarnatum Deum, indivisibilem Emmanuelem, quod ad ipsos attinet, duas naturas duasque personas efficiant.

Rursus eiusdem Patris, ex iis quae ad piissimas Reginas scripsit, *Grammaticus* apponit locum, qui se habet sic: CYRILLI *locus*, QUEM ADDUXIT GRAMMATICUS: « Sed qui dives *erat* ut Deus, is sponte pauper nostrique similis factus est, ut de cetero hominis natura, in celsitudinibus divinae sublimitatis in Christo constituta, paupertatis deformitatem expelleret. Conresuscitavit enim nos cum Christo Deus et Pater, nosque consedere fecit cum illo in caelis, ut scriptum est[3]. Sed nequaquam in his facti essemus, nisi pauperem naturam induisset is, qui *erat* dives ut Deus[4]. » Hominis naturam, quae in celsitudinibus sublimitatis * divinae in Christo constituta est, totum humanitatis genus * p. 205. Doctor vocavit. Etenim rem ita se habere explicans atque illustrans addidit: CYRILLUS: « Suscitavit enim nos Deus et Pater in Christo, nosque sedere fecit in caelis, ut scriptum est[5] »: hoc autem aliter fieri non potuit, nisi quia ipsum ex Deo et Patre Verbum, quod dives ut Deus et omnium Dominus est, paupertatem nostram suscepit et humanam naturam, id est, carnem anima rationabili animatam, hypostatice sibi univit, et ex duobus, *ex* divinitate et humanitate, unus apparuit Dominus et Christus et Filius et Salvator, et una persona unaque hypostasis et natura Verbi incarnata. Neque quia duo atque diversa

[1] Cfr II *Cor.*, x, 5. — [2] *P. Gr.*, LXXV, 937. — [3] Cfr *Ephes.*, II, 6. — [4] *P. Gr.*, LXXVI, 1344. — [5] *Ibid.*, sed ea sola iterantur, quae ad argumentationem pertinent.

secundum substantiam sunt ea, quae naturali coniunctione et unitate coniuncta sunt, ideo is, qui exinde perfectus est, qui una est natura Verbi incarnata, dualitate naturarum post unionem dissecabitur et in ea, ex quibus coaluit, impie resolvetur. Idque multis in locis, et etiam in epistula ad Acacium, episcopum melitinensem, Doctor scripsit sic: CYRILLUS: « Quapropter igitur, ea ex quibus est unus et solus Filius et Dominus Iesus Christus velut in cogitationibus apprehendentes, duas quidem naturas unitas esse dicimus; verum, post unionem, tanquam sublata iam sectione in duas, unam credimus esse naturam Filii, tanquam unius, sed inhumanati et incarnati [1]. »

Illud autem: Verbum Dei « carnem » vel « humanam naturam gessit », seu « induit », doctores orthodoxiae perinde dicunt atque quis dicere posset animam quoque cuiuslibet hominis « carnem gerere », — quod ad Deum etiam Iob * fortissimus sic dicit: « Pelle autem et carne vestisti me; ossibus autem et nervis compegisti me [2] », — licet sectatores impii Nestorii in pravum sensum hac voce uti conentur, de qua in superioribus [3] a nobis disputatum est: saepenumero enim eadem dicere nequaquam nos taedet, ut omnem impiorum audaciam aboleamus.

* p. 206.

Rursus iste indoctus locum apponit, quem inscribit: « Eiusdem, ex eo, quod *habetur* in capitulo sexto », quemque a contextu orationis abscindit. Neque in ipsa claudicatione dispositionis sententiarum erubuit, qui se grammaticum esse iactat. Sic enim scribit, — et per omnia ostendit se, quasi alienorum excerptorum adulatorem factum, ut diximus, istum lamentabilem libellum peperisse atque recitavisse —: CYRILLI *locus,* QUEM ADDUXIT GRAMMATICUS: « Ut homo super terram inventus est is, qui peccatum nescit, sicque per omnia factus obediens Deo et Patri, hominis naturam in se iustificaret et liberaret a vinculis mortis, innocentiae suffragiis coronatam a Deo et Patre [4]. » Sic iste quidem indocte, mancum apponendo locum; ubi vero coaptatur sententiis, quae ante illum inveniuntur, quaeque abscissae

[1] *P. Gr.*, LXXVII, 192. — [2] *Iob.*, x, 11. — [3] Cfr supra, p. 32. — [4] *P. Gr.*, LXXVI, 1365. Servavimus in versione huius loci inconcinnitatem sententiarum, quam Severus Grammatico vitio vertit. Ceterum ipse textus graecus potius legendus est apud PUSEY, *S. P. N. Cyrilli, archiepiscopi alexandrini, De recta fide ad Imperatorem*, etc. (Oxonii, 1877), p. 287.

sunt, *locus* hoc modo se habet: CYRILLUS: « Sapientissime igitur Deus et Pater omnia in Christo instaurans [1], et ex multa benignitate hominis naturae tribuens regressum et accessum ad id, in quo fuerat, « misit Filium suum, factum ex muliere [2] », ut corpus nostro *corpori* simile assumens sibique proprium faciens, inveniretur super terram ut homo, qui peccatum nescit; sic autem per omnia factus est obediens Deo et Patri, ut hominis naturam in se iustificaret et a vinculis * mortis liberaret, atque innocentiae suffragiis ipsa coronaretur a Deo et Patre [3]. »

* p. 207.

Haec quidem est vera perfectaque series orationis [4] huius loci. Invenitur autem *locus,* non in sexto, ut inscriptus est, sed in sexto decimo capitulo libelli. Attamen timeo ne, tam evidentia impietatemque ex propinquo redarguentia solvens atque explicans, nonnullis in nugacitatem [5] delabi videar. Hic enim rursus hominis naturam, quae in Christo iustificatur, Doctor universum hominum genus dixit, id est nos, qui a debito primi hominis, scilicet Adami, liberamur et ad primitivam conditionem elevamur per gratiam illius, qui se ad tantam exinanitionem demisit, ut cum consubstantiale nobis corpus, anima rationali animatum, assumpsisset et homo factus esset, vocaretur secundus Adam immortalesque primitiae omne bonum emittentes ad nos, quibus primitiae factae sunt. Idque clarissime clamant sententiae, ipsi quidem loco coniuncte additae, sed ab impiis abscissae, quae sunt hae: CYRILLUS: « Etenim absurdum esset nos haeredes quidem esse debiti primi *Adae,* per transgressionem in corruptionem deicientis, iustitiae autem secundi per consummatam obedientiam ad vitam evehentis participes non fieri. Cum itaque sacra Scriptura per unius obedientiam multos iustificatos esse [6] dicit, non simplicem quemdam nostri similem hominem ad hoc assumptum esse dicimus, sed potius inhumanatum Patrique pro nobis obedientem factum Unigenitum. Etenim « peccatum non fecit, neque dolus inventus est in ore eius [7] », ut scriptum est [8]. »

* Quis igitur lacrimas non funderet super tam amentes qui, Doctore « hominis naturam » totum hominum genus nominante,

* p. 208.

[1] Cfr *Ephes.*, I, 10. — [2] *Gal.*, IV, 4. — [3] *P. Gr.*, LXXVI, 1365. — [4] λογοθεσία. — [5] σμικρολογία. — [6] Cfr *Rom.*, V, 19. — [7] I PETR., II, 22. — [8] *P. Gr.*, LXXVI, 1365.

putant fore ut, dilacerando locos, capiant eos, qui homonymia facile capiuntur, ad hoc ut putent a Deo Verbo dividi humanam naturam, id est, anima menteque praeditam carnem, quam ex Maria sibi hypostatice *Verbum* univit, sicut canitur in psalmis abscondentes interitum laquei sui [1]; quos etiam Ieremias propheta ante luxit, dicens: « Inventi sunt in populo meo impii, et laqueos constituerunt ad perdendos viros, et insidiabantur; sicut laqueus extensus et avibus plenus, ita domus eorum dolo *sunt* plenae [2]. » Nam etiam ex excerptis, quae adeo impie collegerunt, iterum Grammaticus locum apponit, qui eandem quidem vim obtinet, invenitur vero in capitulo vicesimo tertio operis: CYRILLI *locus*, QUEM ADDUXIT GRAMMATICUS: « Quodsi idem dat et accipit, manifestum est *id fieri* iuxta rationes oeconomiae cum carne et quatenus natura et vere Deus est. Accipit quidem humanitus non sibi sed potius humanae naturae [3] per seipsum et in seipso primo illum [4] procurans; dat autem divinitus ex propria sua natura in eos immittens, qui accipere digni sunt [5]. »

Quod etiam hic « hominis naturam » rursus hominum genus vocaverit, confirmare supervacaneum esse puto. Dixit enim Doctor Christum in Iordane adventum Spiritus sancti accepisse, « humanitus quidem », propter oeconomiam, « non autem sibi sed potius hominis naturae per seipsum et in seipso primo illum procurans ». Ideo ergo, declarans quaenam sit « hominis natura », cui Christi procuravit * Spiritum, quem ipse primus accepisse humanitus dicitur, cum illum substantialiter ut Deus haberet, Cyrillus addidit: « dat autem divinitus ex propria sua natura in eos immittens, qui accipere digni sunt. » Igitur « hominis naturam » Doctor hic vocavit in universum omnes homines, in quibus, quatenus digni sunt, Christus Spiritus participationem ponit. Insuper oportet necessario notemus in genuina scriptura pluraliter haberi: « sed hominum naturae », ut per illud quoque manifestissime agnoscatur totam generatim humanitatem designari. Attamen Grammaticus singulariter « hominis naturae » scripsit, ratus id sibi ad impietatem

[1] *Psalm.* XXXIV, 7. — [2] IEREM., V, 26-27. — [3] Ex infra legendis patebit Grammaticum hic scripsisse: τῇ τοῦ ἀνθρώπου φύσει. — [4] scilicet, Spiritus sancti adventum. — [5] *P. Gr.*, LXXVI, 1381.

profuturum. Nos autem, illud indifferens [1] esse scientes etiamsi in genuina scriptura singulariter haberetur, sanum loci sensum lucide ostendimus.

Quod in Scholiis quoque sapiens Cyrillus clarissime ostendit, qui in eodem scholio « hominis naturam » hominum genus vocavit. Etenim in secundo scholio scripsit haec: CYRILLUS: « Christus vero et Emmanuel eundem nobis Filium designant: illud quidem *nomen*, quatenus unctus est sicut nos humanitus, et hominis naturae in seipso et primo Spiritum accepit — positus enim est *ut* primitiae secundae generis nostri [2], etsi ipse, ut Deus, ungit Spiritu sancto eos, qui in se credunt; alterum autem *nomen*, quia nobiscum factus est, secundum rationes a nobis modo redditas [3]. » Similiter etiam in primo tomo adversus blasphemias Nestorii: CYRILLUS: « Sic enim pauper fuit, cum esset dives, nos ad proprias divitias elevans et per carnem sibi unitam nos omnes in se habens. Sic enim, sic consepulti quidem sumus cum Christo per sanctum baptismum, consurreximus autem cum illo et consedimus * cum illo in caelis: sic enim scripsit mysteriorum dispensator, praeco, apostolus et evangelicorum praeceptorum sacerdos, sapientissimus Paulus [4]. » RURSUSQUE, IN TOMO TERTIO: « Nam propterea vocatus est etiam novissimus Adam, non quod prioris illius infirmitatibus laborare sustinuerit, sed quod in seipso, et quidem primo, hominis naturam potius a criminibus prioris istius transgressionis liberaverit [5]. » Quae autem sit hominis natura, quam a prioribus criminibus Christus liberavit, paulo post addit et allegat dicens sic: CYRILLUS: « Et seipsum Christus obtulit pro genere secundum carnem, hoc est, pro nobis, pro seipso autem nullo modo, cum peccato superior esset, tanquam Deus [6]. » Ecce his omnibus clarissime ostensum est quomodo, cum « hominis natura » totum hominum genus nominatum sit, impii vim adhibeant ad illam *vocem* detorquendam, ut Christum duplicitate naturarum post unionem dividant.

Rursus apponit locum, cuius titulum indocte ementitus est sic: GRAMMATICUS ADVERSUS CYRILLUM: « Eiusdem, ex oratione

[1] ἀδιάφορον. — [2] Hucusque verba Cyrilli graece habentur apud E. SCHWARTZ, *Acta concil.*, t. I, p. 226. — [3] *P. Gr.*, LXXV, 1372 (latine tantum). — [4] *P. Gr.*, LXXVI, 17. — [5] *Ibid.*, 164. — [6] *Ibid.*

de inhumanatione; quomodo oporteat intelligere illud: Verbum caro factum est [1]. » Est autem *locus* ex Scholiis, qui invenitur in scholio, cui *inscribitur* titulus hic: CYRILLUS: « Quomodo oporteat intelligere «Verbum caro factum est et habitavit in nobis», et quomodo missum sit Verbum, cum Deus sit, et quomodo proprium ipsius dicatur corpus [2]. » Quomodo vero mutatis coniunctionibus aliisque orationis partibus locum [3], quin librum adiret, apposuerit et ubique ineruditionis suae significationem reliquerit, redarguere nugacitas esset, quia quilibet *libro eius* occurrentes *hoc* ex lectionibus scire possunt, cum nos genuinam et accuratam scripturam apponamus, * sic se habentem: CYRILLI *locus*, QUEM ADDUXIT STULTUS GRAMMATICUS: « Prorsus namque intelligitur alterum in altero esse id, quod habitat, id est, divina natura in humana, nullam perpessa confusionem aut suffusionem, aut commutationem in id, quod non erat. Quod enim in altero habitare dicitur, non id ipsum factum est quod est illud, in quo habitat: intelligitur autem potius alterum in altero. Naturae vero Verbi rursusque humanitatis solam differentiam nobis diversitas, *quae* in illis [4] *habetur*, significat: unus enim ex utroque intelligitur Christus. Itaque inconfusionem, ut dixi, optime servans, Verbum habitasse in nobis *evangelista* dixit [5]. »

* p. 211.

Pulchre nobis, o strenue, illum locum apposuisti. Si enim synodus chalcedonensis illud reiecit, *scilicet* quod Christus unus ex duobus proclametur, et hanc vocem ex sua definitione expulit, aliena apparet a recta sancti Cyrilli sententia, eo quod confiteatur absolutam illam diversitatem, quae naturas, ex quibus Emmanuel *constituitur*, singillatim inter se separat, non autem *illas distinguit* illa tantum secundum substantiam differentia, quae dualitatem post unionem negat. Et audias, quaeso, sapientis Cyrilli vocem, quae saepenumero quidem, inefficaciter autem et inutiliter, auribus tuis personuit; habetur in secunda ad Suc-

[1] Titulum, prout a Grammatico positus dicitur, non repperi. Videas tamen supra, p. 144, n. 4. — [2] Cfr supra, p. 146, n. 1. — [3] Exempla adulterationis huius loci iam agnosces in sententia ex illo desumpta, quam legere poteris, v. gr., *P. Gr.*, LXXXVI, 1829. — [4] Id est, ut videtur, diversitas inter Verbum et carnem antea a sancto Cyrillo notata. Locum hucusque laudatum graece reperies apud E. SCHWARTZ, *loc. cit.*, p. 228. — [5] *P. Gr.*, LXXV, 1397, ubi tamen multae variae lectiones inveniuntur.

censum epistula: CYRILLUS: « At eos fugit ea omnia quae non sola contemplatione separari solent, prorsus etiam in diversitatem distinctam proprie et omnimodo a se mutuo recedere. Sit autem nobis in exemplum rursus homo nostri similis. Duas namque naturas etiam de ipso intelligimus, unam quidem animae, alteram autem corporis. Sed * meris cogitationibus discernentes et subtilibus cogitationibus seu phantasiis intellectus differentiam apprehendentes, non seorsum ponimus naturas, neque rursus perfecte virtutem sectionis illis imponimus, sed eas unum esse intelligimus, ita ut illae duae *naturae* non iam sint duo, sed utraque unum animal absolvatur [1]. »

* p. 212.

Itaque manifestum est eum, qui non meris cogitationibus subtilibusque contemplationibus separat, *neque* solummodo novit differentiam secundum substantiam *adesse* et duo quaedam inter se non consubstantialia in unum coaluisse, sed post unionis cogitationem in dualitate persistit illudque unum, quod absolutum est, duo *esse* dicit, *eum, dico,* seiunctim ponere naturas perfectamque unionis sectionem inducere. Porro sagacissimus iste Grammaticus illique, qui istos locos excerpserunt et in illis falsitatem miscuerunt, existimantes naturarum differentia certissime prorsusque induci sectionem in duo post unionem, verbis sancti Cyrilli adiunxerunt naturarum differentiam esse individuam [2]: sic namque duas naturas post unionem dicentes, individuas et unitas illas *esse* incredibili et impossibili ratione suadere volunt. Ipsam autem individuae differentiae vocem sic adiunxerunt: « Naturae vero Verbi rursusque humanitatis diversitas differentiam tantum nobis significat individuam [3]. » Sed audient a nobis: Illa secundum substantiam differentia eorum, quae in unum coaluerunt, non dissecat unionem; unum enim ex duobus intelligi Christum Doctor addidit. Hoc synodus Chalcedonensis eiecit, et exinde patroni eius τὸ ἀδιαίρετον et τὸ ἀχώριστον nobit bilbunt [4] in gutturibus suis et inanibus tantum verbis impietatis delusionem decorant.

* Rursus locum ex secunda epistula synodica ad Nestorium

* p. 213.

[1] *P. Gr.*, LXXVII, 245. — [2] ἀδιαίρετος. — [3] Cyrilli sententiam cum hoc additamento non repperi. — [4] Vox syriaca per onomatopoeiam adhibita: sonum *bokbok* emittunt, sicut amphora cum liquor effunditur. Cfr iam supra, t. I, p. 164.

apponit et in easdem erroris sententias incidit putatque simul cum illa secundum substantiam differentia naturarum, ex quibus Emmanuel *constituitur*, induci duplicitatem naturarum post unionem. Sic autem se habet: CYRILLI *locus*, QUEM ADDUXIT GRAMMATICUS: «Non sublata differentia naturarum propter unionem, sed efficientibus potius nobis unum Dominum nostrum Iesum Christum et Filium[1].» Sic synodus chalcedonensis in sua definitione, quam nova sententia condidit, hunc versum posuit: « non sublata naturarum differentia propter unionem[2] », ut videretur Cyrilli verba exscribere. Verba autem ante haec posita, quae unum ex duobus Christum praedicant, sacrilege absciderunt *Chalcedonenses*: sic iste quoque deceptor fecit. Mihi autem satis erit plene ea apponere, quae malam immundamque impietatis fraudem redarguunt: CYRILLUS: « Diversae quidem sunt naturae in veram unitatem congregatae, unus autem ex duabus Christus et Filius, non sublata differentia naturarum propter unionem, sed efficientibus potius nobis unum Dominum et Christum et Filium divinitate et humanitate per ineffabilem et inexplicabilem concursum in unitatem[3]. »

Haec autem etiam in iis, quae antea considerata sunt[4], fuse ostendimus. Prorsus tamen necesse est nos, quoad singulos locos in medium prolatos, iisdem confutationibus resistere iis, qui istos *locos* excerpserunt vanaque pertinacia insistunt.

Rursus apponit locum ex Scholiis, qui Scholiorum appellationem nescivit in locis antea consideratis, quos mendacibus mutilisque titulis signarant ii, qui illos excerpserant. Porro invenitur locus * sub scholio, cui imponitur titulus hic: « Cyrilli, de passione Christi, et de eo, quod utile est illud: « secundum aliud et aliud[5]» de uno eodemque dictum, nec dividimus in duo[6] »; quae autem in loco *habentur*, haec sunt: CYRILLUS: «Prodest igitur et necessarium est velut ad utilitatem, si accipiatur a nobis de Christo, illud « secundum aliud et aliud », positum quidem de uno eodemque, non autem concedens illum in duo dividi[7], licet dicatur quaedam in aliquo inter se non con-

* p. 214.

[1] *P. Gr.*, LXXVII, 45. — [2] MANSI, t. VII, col. 116. — [3] *P. Gr.*, LXXVII, 45. — [4] Cfr supra, t. I, p. 162. — [5] Id est, distinctio κατ' ἄλλο καὶ ἄλλο. — [6] *P. Gr.*, LXXV, 1404 (latine tantum). — [7] Hucusque locus graece reperitur apud E. SCHWARTZ, *loc. cit.*, p. 229.

venientia acta esse. Tale quid dico: Natum esse dicimus secundum carnem ex muliere Unigenitum Dei Verbum, licet non exsistentibus ipsum praebeat esse et ad existentiam vocet id, quod nequaquam est. Quomodo igitur idem et generationem tulit et ad existentiam vocat? Secundum aliud et aliud. Etenim, natus quidem est quatenus intelligitur homo nostri similis; vocat autem ad existentiam ea, quae aliquando non fuerunt, quatenus natura Deus est. Scriptum est de ipso: « Puer crescebat et confortabatur et implebatur sapientia et gratia[1] », licet secundum naturam sit omnino perfectus, ut Deus, et ex sua plenitudine impertiat sanctis spiritualia, ipseque sit sapientia et dator gratiae. Quomodo igitur crescit puer et impletur sapientia et gratia? Secundum aliud et aliud. Idem enim ut homo simulque Deus propria quidem sibi facit humana propter unionem, est autem omnino perfectus et dator sapientiae et gratiae, ut Deus. Vocatus est primogenitus et unigenitus. Sed si quis voluerit scrutari vim dictionum, primogenitus est in multis fratribus primogenitus, unigenitus autem, ut unicus, non est unigenitus * in multis fratribus. At idem est hoc et illud; quomodo igitur? Secundum aliud et aliud: primogenitus enim in multis fratribus, propter humanitatem[2]; rursus autem idem unigenitus, ut unicus genitus ex unico Deo et Patre. Sanctificatus fuisse dicitur per Spiritum, rursusque sanctificare ad se accedentes. Baptizatus est secundum carnem et baptizabat in Spiritu sancto. Quomodo igitur idem sanctificat et sanctificatur, baptizat et baptizatur? Rursus, secundum aliud et aliud. Sanctificatur enim humanitus et ita baptizatur; sanctificat autem divinitus, baptizat autem etiam in Spiritu sancto. Ipse, qui mortuos suscitabat, surrexit a mortuis, et cum sit secundum naturam vita, vivificari dicitur. Et quomodo hoc? Rursus secundum aliud et aliud. Idem enim surrexit a mortuis, et dicitur revixisse, secundum carnem; vivificat autem et suscitat mortuos, ut Deus. Patitur et non patitur, secundum aliud et aliud. Patitur quidem humanitus carne, quatenus homo factus est; impassibilis autem est divinitus, ut Deus. Adoravit nobiscum; ait enim: « Vos adoratis quod nescitis; nos adoramus quod scimus[3] »; sed est etiam

* p. 215.

[1] LUC., II, 40. — [2] διὰ τὸ ἀνθρώπινον. — [3] IOH., IV, 22.

adorandus: flectitur enim ipsi omne genu [1]. Et hoc rursus secundum aliud et aliud. Adorat enim, ut qui assumpserit naturam, quae adorat; adoratus autem rursus idem, ut qui sit supra naturam adorantem, quatenus intelligitur Deus. Adorationem vero dividere non licet, *ut dirigatur* ad hominem singillatim et ad Deum singillatim. Neque rursus ut Deo coniunctum aequalitate dignitatis, divisis hypostasibus, hominem cum ipso *Deo* adorari [2] dicimus, — extremae enim impietatis plenum est istud [3], — sed unum * adorare oportet inhumanatum et incarnatum Verbum Dei, simul credendo corpus ipsi unitum anima nostrae *animae* simili rationabili fuisse animatum [4]. »

* p. 216.

Amplum quidem praesentem locum apposuit Grammaticus et putavit per illud « secundum aliud et aliud » Emmanuelem in dualitatem naturarum post unionem dissolvi; erravit autem errore omnium errorum miserrimo et cuius fructus impietas est. Etenim ipse etiam homo nostri similis, unus exsistens ex duobus, ex anima et corpore, quae secundum substantiam aliud atque aliud sunt, una est natura et hypostasis, unumque animal rationabile et mortale secundum congermanitatem [5] constituitur atque dicitur. Et « secundum aliud » quidem, id est, secundum corpus, mortalis est, « secundum aliud » autem rationalis et immortalis, ut est anima. Hanc imaginem de ipso quoque Emmanuele in scholio, ex quo locus *modo adductus* habetur, in exemplum assumit sapiens Cyrillus sic: CYRILLUS: « Neque ceteroquin id mirandum est, cum et ipsam hominis animam videamus, si quid corpus passum fuerit, nihil quidem secundum propriam naturam patientem, non *tamen* extra passionem esse intelligi, eo quod illud *corpus*, quod patitur, ipsius proprium sit. Etsi ipsa secundum naturam incontigua et immaterialis est, attamen id, quod patitur, non est alienum. Sic intellige etiam de Christo omnium nostrum Salvatore [6]. » ET PAULO POST, legalem typum, qui salvificam Christi passionem quasi adumbrat, explicando, dixit sic: CYRILLUS: «Pullis duobus comparat Chris-

[1] Cfr *Philipp.*, II, 10. — [2] συμπροσκυνεῖσθαι. — [3] τὸ χρῆμα. — [4] Hunc locum latine tantum, paucis exceptis, reperitur in *P. Gr.*, LXXV, 1406; graece autem rursus, inde a verbis: « Quomodo igitur idem et generationem tulit » usque ad finem, apud SCHWARTZ, *loc. cit.*, p. 229. — [5] καθ' ὁμοφυΐαν, ut videtur. — [6] *P. Gr.*, LXXV, 1405 (latine tantum).

tum, non quod duo sint filii, sed *quia* unus est ex duobus, *ex* divinitate et humanitate, in unitatem congregatis [1]. »

Ita igitur unum ex duobus cognoscens Christum *, unamque naturam Verbi incarnatam, consequenter post illa profert id, quod in ipso loco reperitur: CYRILLUS: « Patitur et non patitur, secundum aliud et aliud. Patitur quidem humanitus carne, quatenus homo *factus est*; impassibilis autem est divinitus, ut Deus [2]. » Qui vero in Chalcedone congregati sunt, reiecta confessione unius « ex duabus naturis » Christi, — cuius propria est hypostatica unio, — eius loco elegerunt « personae, ut ait Leo, unitatem in utraque natura intelligendam [3] », et *unitatem*, quae secundum dignitatem intelligitur, per quam ipsum quidem Dei Verbum, ut *Leo* delirat, miserando et compassionis sensum erga hominem ostendendo non mutatum est, homo autem maiestate divinae dignitatis dignatus non consumptus est [4]; et ideo « in duabus naturis » Christum intelligendum esse definierunt, ipsius Leonis *verbis* interrogantes: LEO: « Quae natura transfixa clavis pependerit in crucis ligno [5] ? », hac interrogatione ostendentes se nescire dicere, sicut *dixit* sanctus Cyrillus, de Christo: CYRILLUS: « Patitur et non patitur, secundum aliud et aliud. Patitur quidem humanitus carne, quatenus homo *factus est*; impassibilis autem est divinitus, ut Deus [6] »: et haec quidem, cum *tamen* simulent se unum eundemque confiteri Deum et hominem.

* p. 217.

At nihil mirum! Ecce enim Nestorius quoque, qui illa adversus pietatem machinatus est, unum eundemque Deum et hominem confitetur Christum et mortuum et non mortuum: non secundum idem, sed illud quidem secundum humanitatem, hoc autem secundum divinitatem; et aenigmatis solutionem patefacit per illam, quae ex dignitate *habetur*, duarum naturarum unionem et adhaesionem. Scripsit enim in oratione, cui inscriptum est: « Postquam lectum fuerat illud: « Quoties, si peccaverit in me frater meus, dimittam illi [7] », et ante illum dixerat * alius de patientia [8] », sic: NESTORIUS: « Dominus noster Christus idem

* p. 218.

[1] *P. Gr.*, LXXV, 1406 (latine tantum); graece apud E. SCHWARTZ, *loc. cit.*, p. 228. — [2] *Ibid.*, 1407; apud E. SCHWARTZ, *loc. cit.*, p. 230. — [3] *P. Lat.*, LIV, 771. — [4] Cfr *ibid.*, 767. — [5] *Ibid.*, 775. — [6] *P. Gr.*, LXXV, 1407; apud E. SCHWARTZ, *loc. cit.*, p. 230. — [7] MATTH., XVIII, 21. — [8] Cfr LOOFS, p. 332, not.

erat et Deus omnipotens et homo: idem quidem, non autem secundum idem. Non enim secundum quod homo erat, erat Deus, neque secundum quod Deus erat, erat homo; sed secundum divinitatem quidem erat Deus, secundum humanitatem autem homo [1]. » RURSUSQUE, POST ALIA: « Est ergo Christus, ut dixi, ab infantia et Deus simul et homo: secundum id quidem, quod latet, Deus; secundum id autem, quod videtur, homo. At utroque in unam dignitatem compacto, ipsae naturae non sunt inter se corruptae [2]. » Rursusque, in oratione cui inscriptum est: « De Pharisaeo [3] », cuius etiam in antea consideratis mentionem feci [4]: NESTORIUS: « Et surrexit Christus, et suscitavit; et non solutus, et solutus est. Solvebatur quidem secundum naturam corporis, non solvebatur vero secundum divinam dignitatem. Et erat idem suscitans et solutus [5]. » Sed is, qui haec dixit eo quod per eam, quae ex dignitate *habetur,* unionem, id est, adhaesionem, duas naturas unam *esse* personam astute dicebat, pari modo non intellexit illum unum Christum specie *tantum* unum eundemque Christum dici, et interrogabat dicens: NESTORIUS: « Quis suscitavit, haeretice? Quis solutus est? Cuiusnam est suscitare et cuiusnam suscipere mortalitatem? Audi vocem Domini nostri et expergiscere: « Solvite templum hoc [6] ». Igitur templum est, quod solvitur, haeretice [7]. » Quod autem interrogative dicere: « Quis crucifixus est? », aut: « Quae natura passa est? », aut: « Tale quid quis pertulit? », aut: « Tale quid quis fecit? », dissolutio unionis sit, et quod mos sit ita impie sentientium ut duas naturas et hypostases, tanquam secundum dignitatem unitas et individuas, unam personam vocent, et unam hypostasim * et unum eundemque Christum dicant, uno nomine duas formas atque naturas colligantes, satis superque in iis, quae a nobis antea dicta sunt, demonstratum est.

* p. 219.

Illud autem necesse est praeterea notare, quomodo *scilicet* iste locus, qui in disquisitione nostra ponitur, corruptricem impiorum manum non effugerit. Cum enim sapiens Cyrillus scripsisset: CYRILLUS: « Adorat enim ut qui assumpserit naturam, quae adorat; adoratur autem rursus idem, ut qui sit supra naturam adorantem, quatenus intelligitur Deus [1] », reddiderunt isti, qui scribunt malitiam, ut dixit Isaias propheta [2]: « ut qui sit adorandae naturae [3] », ut, quemadmodum ipsis placet, naturae tum adorans tum adoranda invicem oppositae dualitatis quoque significationem praeberent. Et illos fugit ne sic quidem ipsis fictionem ullo modo prodesse, cum unus Christus credatur *esse* ex duabus naturis, quarum altera quidem consubstantialis *est* nobis, qui adoratores sumus, altera vero consubstantialis Deo, Patri et Spiritui, qui ab universa creatura adoratur. Illudque Doctor dicit etiam in oratione prosphonetica ad piissimum imperatorem Theodosium, sic: CYRILLUS: « Sed forsan dicet qui huiusmodi gloriae adversatur: Ecquis ille erat, qui mulieri Samaritanae dicebat: « Vos adoratis quod nescitis; nos autem adoramus quod scimus [4] »? Quomodo ergo adorandus est, qui cum adoratoribus reponitur? Ego vero dixerim illud, quod *scilicet* quoquo tandem modo de Christo dicatur: « Quis erat? », stolidum esse atque imperitum: nullo enim modo Christus dividitur. Qui autem cum muliere loquebatur, unus et solus Dominus Iesus * Christus erat, ex humanitate adorante et ex divinitate adoranda habens quod vere simul Deus et homo sit atque nominetur [5]. »

* p. 220.

Quomodo igitur non manifesto appareat omnibus vos impios adversarios esse doctrinarum sancti Cyrilli, per adulterata ea, quae illis agglutinatis ut, sicut qui sculptilia faciunt, adoretis ea, quae fecerunt digiti vestri [6]: nam id quoque Isaias dicit.

CAPUT TRICESIMUM SEXTUM

Loci Iohannis, episcopi *constantinopolitani,* similiter redarguentes mendacium et impietatem eorum, qui illos adducunt eiusque, qui, ex iisdem excusationibus colligens erroris excusationes, illos exscripsit, atque veritatis vim ostendentes.

Deinde locum apponit sancti Iohannis, qui episcopus Constantinopoleos fuit, ex secunda oratione commentarii evangelii Matthaei, sic se habentem: IOHANNIS CONSTANTINOPOLITANI *locus,* QUEM ADDUXIT GRAMMATICUS: « Perpende enim quale sit audire

[1] Locum non repperi. — [2] Item. — [3] Titulum non repperi. — [4] Ut videtur, non in hac tertia oratione contra impium Grammaticum. — [5] Locum non repperi. — [6] IOH., II, 19. — [7] Locum non repperi.

[1] *P. Gr.*, LXXV, 1407 (latine tantum); graece apud E. SCHWARTZ, *loc. cit.*, p. 230. — [2] ISAI., X, 1. — [3] Locum sic mutatum non repperi. — [4] IOH., IV, 22. — [5] *P. Gr.*, LXXVI, 1180. — [6] Cfr ISAI., II, 8.

quomodo quidem Deus, de caelo et a regalibus sedibus surgens[1] in terram et in ipsum infernum descenderit et in acie steterit; quomodo autem diabolus in acie steterit adversus illum, id est, non adversus Deum nudum, sed adversus Deum natura humana absconditum[2]. »

Mystagogi sanctae Ecclesiae, ex duabus naturis Christum esse credentes et docentes, pari * modo dicunt Verbi divinitatem « carne » vel « natura humana » abscondi aut operiri, perinde ac si quis dicat hominis quoque animam propria illius carne abscondi aut operiri. Quod etiam sapientem Basilium reperimus, in oratione: « Attende tibi ipsi[3] », sic scripsisse: « Etenim, si nuda anima viveremus, statim cum cogitationibus inter nos conveniremus. Quia vero sub velamento, carne *scilicet,* cooperta anima nostra cogitationes producit, verbis et nominibus indiget, ut manifestet ea, quae in profundo sunt[4]. » Idem quoque de Emmanuele eximius Cyrillus, in *opere* contra Diodorum, scripsit sic: Cyrillus: « Cum autem Verbum unigenitum carni suae unitum esse intelligimus, non indumenti instar *carnem* accipimus, neque rursus dicimus quod eam ad modum tegumentorum extrinsecus sibi circumdederit, tanquam a se alienam: potius autem *haec formula*[5] spectat indicationem et significationem illius, quod *Verbum* « caro », id est, homo « factum est ». Naturalis igitur Verbo contigit affinitas ad corpus, cui unitum est, et *illud corpus* est *Verbi* proprium, sicut et animae hominis proprium est *corpus, cui unita est,* quamvis sortita sit naturam secundum substantiam ab eo diversam[6]. »

Cum autem Tomus Leonis falsi nominis unionem inducat, quae *oritur* ex affinitate voluntatis et ex affectu misericordiae, quo miseratum Dei Verbum homini divinae dignitatis et honoris magnitudinem largitum est, dicatque: Leo: « Et nullum est in hac unitate mendacium, dum utraque secum invicem sunt, et humilitas hominis et magnitudo deitatis. Sicut enim in Deum, cum miseratur, mutatio non incurrit, ita homo magnitudine divinae dignitatis non * consumitur[7] », evidenter etiam haec

[1] Cfr *Sap.*, XVIII, 15. — [2] *P. Gr.*, LVII, 24. — [3] *P. Gr.*, XXXI, 197. — [4] *Ibid.* — [5] scilicet, Verbum unitum esse carni. — [6] ἑτεροούσιος. Locum non repperi. Syriace tantum habetur apud Pusey, t. III, p. 507. — [7] *P. Lat.*, LIV, 767.

alia ad modum vaniloquiorum Nestorii ab ipso *Leone* dicta esse, quilibet inter recte sentientes decernet: Leo: « Iam cum ad praecursoris sui Iohannis baptismum venit, ut appareret quod carnis velamine divinitas tegeretur, vox Patris de caelo intonans dicit: « Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui[1] ». Cum enim mendacem unionem secundum dignitatem et honoris aequalitatem hominis *cum Verbo* praemisisset, illum ostendit *tanquam* Filium a Patre proclamatum propter tectam deitatem quam, cum tegeretur, vox *Patris* manifestavit. Illud autem videre licet iniquum quoque Nestorium, in scripto adversus Theopaschitas seu Cyrillianos, scripsisse sic: Nestorius: « Manente naturarum inconfusione, — et haec apparet iis, qui non tantum oculos sed et intellectum habent, — ostendit undenam *habeatur* singularis dignitas carnis et Dei Verbi: gloria enim carnis visibilis superior visibili clamat unionem naturae, quae tegebatur[2]. »

Sic solent et « corpus » et « carnem » vocare hominem illum secundum dignitatem et honorem Deo Verbo unitum: quem etiam « unicum » vocant, ut qui *tanquam* unum Filium exhibeat et velamen carnis et deitatem absconditam. Idem autem impius Nestorius, ostendens eorum, qui eadem ac ipse sentiunt, morem esse ut astute sic dicant « corpus visibile » et « absconditam naturam » seu « divinitatem », — qua fraude celant Christum in hominem seorsum Deumque singillatim *exsistentem* dividi, — in homilia, cui titulus: « De Epiphania; dicta autem est praesente imperatore », cuius initium est: * « Donum festi splendore, qui ex verbis, indigere videmus[3] », scripsit sic: Nestorius: « Sed simulatum artificium non fefellit Iohannem, cui Spiritus gratia divinitatem in illo, qui videbatur, absconditam ostenderat. Vide ergo quae clamaverit ad illum: « Ego a te debeo baptizari, et tu venis ad me?[4] » Etsi illis, ait, non notus es, mihi innotuisti. Novi speciem tuam, domine mi; agnosco eum, qui in te latet; intellexi dignitatem tuam ex *eo tempore,* quo adhuc in utero gestabaris[5]. »

[1] *P. Lat.*, LIV, 769; Matth., II, 17. — [2] Locum non repperi. Ultimae sententiae obscurus est textus et sensus mihi dubius. — [3] Neque titulum, neque initium repperi. — [4] Matth., III, 14. — [5] Locum non repperi.

At vero non sic maximus doctorum pietatis, Iohannes, episcopus constantinopolitanus, *loquitur*; sed unum eundemque sciens Filium Dei, inhumanatum Verbum, ex visibili humanitate et invisibili divinitate *constitutum*, in eodem commentario evangelii Matthaei, in oratione undecima, cuius initium est: « Cum famulis dominus [1] », de eo, quod et vox Patris et descensio Spiritus in columbae specie quodammodo digito ostendebant Filium Dei, prorsus abhorret a dividendo visibilem et absconditum; ait autem sic: IOHANNES CONSTANTINOPOLITANUS: « Ob ea omnia, quae dicta sunt, venit Spiritus in columbae specie, vocem trahens ad Filium [2]. » RURSUSQUE, PAULO POST: « Nam et columba ideo tunc apparuit, ut cuiusdam digiti loco adstantibus et Iohanni ostenderet Filium Dei [3]. » Digito autem is utique ostenditur, qui sub visu cadit; Filius Dei vero, quatenus Deus est, invisibilis est; ostendebatur autem et videbatur quatenus homo factus: nam prorsus non dividebatur, qui est unus idemque ex duobus. Illis autem coaptamus, tanquem * in statera *illa ponentes*, vocem sapientis Cyrilli, qui in secundo libro commentarii evangelii Matthaei illis consona scripsit: CYRILLUS: « Sic enim illud etiam Pater nobis ostendit, cum suum vocavit Filium eum, qui baptizatus est, non autem eum, qui *erat* in eo, qui baptizatus est: demonstrativa enim est *vox* οὗτος et velut manum eius, qui indicatur, apprehendit. Unum igitur Dei Filium cum Pater Emmanuelem cognoscat, ne ex adverso assurgant quidam, semetipsos in periculum inferentes contra desuper *facta* decreta, neque, pietatis mysterium solventes, alium aliumque Filium *esse* illum unum eundemque *Filium* existiment. Deus enim est Unigenitum Verbum; non in homine factum est, sed homo factum est, mansitque id, quod erat, etiam cum homo factum est, non commentitium efficiens, propter *assumptam* humanitatem, quod secundum naturam Deus sit, neque in humanis erubescens propter illam *divinitatem*. Intelligitur autem ex duobus unus Christus et Filius, etsi unionis modus hominibus ineffabilis prorsus atque incognitus est [4]. »

* p. 224.

Rursus apponit locum sancti Iohannis, in oratione undecima commentarii evangelii Iohannis, ubi exponit verba: « Verbum

[1] *P. Gr.*, LVII, 201. — [2] *Ibid.*, 204. — [3] *Ibid.*, 205. — [4] Locum non repperi.

caro factum est et habitavit in nobis », sic se habentem: IOHANNIS *locus*: « Unione enim et adhaesione unum sunt Deus Verbum et caro, facta non confusione, neque destructione substantiarum, sed ineffabili et inexplicabili unione, quam quidem ipse solus novit [1]. » Ipsa quidem genuina loci scriptura hoc modo se habet; iste vero indoctus, qui librum non adiit, ex alienis excerptis in fine loci sic scripsit, — quia forsan ii, qui *locum* excerpserunt,*putarunt se in hoc sagacem Doctorem emendaturos: « Et illud: « quomodo factum est », accurate ipse solus novit [2] ». In hoc autem crimen habetur non detortorum dogmatum, sed tantum ignorantiae et audaciae aggressoris. Miror autem quomodo, cum Doctor dixerit unione et adhaesione unum esse Deum Verbum et carnem, facta non confusione, neque destructione substantiarum, semetipsos non abscondant, duas naturas post inexplicabilem unionem unum Christum dicere audentes. Neque enim Dei Verbum a divina substantia et a consubstantialitate cum Patre et Spiritu sancto recessit aut translatum est propter coadunationem cum carne, neque rursus e contrario caro anima menteque praedita propter ineffabilem cum Verbo unionem mutata est et ipsa mutatione substantiam suam corrupit, id est, repudiavit homogeneitatem et consubstantialitatem nobiscum illudque, quod nempe sub eodem genere ac nos constituatur secundum substantiam hypostases eiusdem speciei complectentem. Unus tamen est absque confusione is, qui ex duobus absolutus est, unaque natura Verbi incarnata. Ideo enim ipse etiam Doctor ante locum *adductum* dicit: IOHANNES CONSTANTINOPOLITANUS: « Quod habitat, non idem est ac illud, in quo habitat, sed aliud in alio habitat: nihil enim in seipso habitat. Aliud vero dixi secundum substantiam [3]. » Qui autem tam manifesto decrevit, dicens: « Aliud vero dixi secundum substantiam », vetuit diversitatem in duo dissecantem; propterea igitur addidit etiam: « Unione enim et adhaesione unum sunt Verbum et caro. »

* p. 225.

* At non cessant canes caeci, ut dicam sicut Isaias propheta [4], adversus veritatem frustra latrare, et cum differentia secun-

* p. 226.

[1] *P. Gr.*, LIX, 80; sed differt textus in fine. — [2] Cfr *ibid.* (cum nota), ubi fere eadem verba addita reperiuntur. — [3] *P. Gr.*, LIX, 80. — [4] Cfr ISAI., LVI, 10.

dum substantiam eorum, quae in unum compacta sunt, inducere sectionem dualitatis naturarum post unionem. Rursus autem quoad illa contra illos simul *omnes* exsurgit et pro pietatis doctore Iohanne praelium committit sapiens Cyrillus, eadem clamans ad aures hebetiores, iis quae ad Succensum secundo scribebat sic : CYRILLUS : « Non enim de iis tantum, quae sunt secundum naturam simplicia, « unum » vere dicitur, sed etiam de iis, quae secundum compositionem congregantur, sicuti est homo ex anima et ex corpore. Nam diversae secundum speciem sunt huiusmodi res minimeque inter se consubstantiales; ubi autem unitae sunt, unam hominis naturam absolverunt, quamvis in compositionis ratione adsit differentia secundum naturam eorum, quae ad unitatem adducta sunt. Supervacaneo igitur loquuntur qui dicunt, si una sit natura Verbi incarnata, prorsus et omnino consequi confusionem et commixtionem factam esse, utpote imminuta et subtracta hominis natura. Neque enim imminuta, neque, ut aiunt, subtracta est; sufficit enim ad plenissimam demonstrationem huius, quod homo factum sit, dicere: « incarnatum est ». Hoc enim si reticeremus, haberet locum aliquem eorum calumnia; cum vero necessario additum sit, ubinam imminutionis vel subtractionis modus [1] ? »

Rursus eiusdem locum apponit, ex oratione in Ascensionem Domini, in qua habetur ita: IOHANNIS *locus*, QUEM ADDUXIT GRAMMATICUS: « Apprehendimus regalem thronum, et natura propter quam Cherub paradisum servabat, ipsa supra Cherubim sedet hodie [2]. » Rursus iste * impius, pro « sedet hodie », apposuit: GRAMMATICUS: « facta est hodie [3] », ubique ineruditionis suae argumentum relinquens, itemque quod nihil considerate legerit. Tempus est ad eum, qui hunc locum apposuit, iterum praedicandi ea, quae Isaias ad sculptores simulacrorum daemoniorum praedicavit: « Nescierunt intelligere, quia obscurati sunt, ne viderent oculis suis neque intelligerent corde suo [4].» Cum enim Doctor dixerit: «Apprehendimus regalem thronum », tuncque perrexerit: « et natura propter quam Cherub paradisum servabat, ipsa supra Cherubim sedet hodie », quis vel ex

* p. 227.

[1] *P. Gr.*, LXXVII, 241. — [2] *P. Gr.*, L, 445. — [3] Locum sic immutatum non repperi. — [4] ISAI., XLIV, 18.

iis, qui tardissimi sunt ad intelligendum, clare non videt illum « naturam » dicere totum humanitatis genus? Eo enim quod Dei Verbum immutabiliter incarnatum est carne nobis consubstantiali anima rationali animata, et corporeum a dextris Patris sedit, secum nos suscitavit et secum nos sedere fecit in caelis, iuxta dictum Apostoli [1]; idque clarius quam tuba personant illa quoque verba, quae ante locum ab impiis abscissa sunt: IOHANNES: « At, quod dicebam, cum ita male nostrum genus se gereret antea, ut etiam in periculum veniret ex ipsa terra excidendi, nos tamen, qui terra indigni videbamur, in caelum sublati sumus hodie; qui ne infero quidem principatu digni eramus, ad superum regnum elevati caelos transcendimus [2]. » Idem clamant etiam sententiae, quae in hoc ipso loco occurunt: IOHANNES: « At quo pacto admirabile hoc et magnum evenit? quo pacto nos, qui ad iram provocaveramus, qui ipsa terra indigni videbamur atque ex infero principatu excideramus, ad tantam altitudinem sumus evecti [3]? »

* Iam supra istos impios reprehendimus, quod haec etiam in sapientis Cyrilli locos commiserint, et naturarum homonymia fraudulenter usi sint. Illa etiam, quae de toto genere, totaque natura humana dicta sunt, ad humanitatem Christi referunt, hoc est, ad carnem rationaliter animatam, quam Dei Verbum sibi hypostatice univit, quasi ab illo divisam et cum illo sedentem, sicut Nestorium quoque Cyrillus, in tomo quarto adversus blasphemias illius, adduxit dicentem: NESTORIUS: « Secum sedere fecit Pater elevatam humanitatem [4] ». Quam blasphemiam in Christo sapiens aggressus est, sic dicens: CYRILLUS: « Deinde, quid discens dicis Patrem secum sedere fecisse elevatam humanitatem, ac non potius in propriae suae divinitatis sedibus sedisse, beneplacito Dei et Patris, illud ex ipso genitum Verbum etiam hominem factum, ne tanquam alia extra ipsum humanitas eius a nobis concipiatur aut dicatur, quamvis vera unio unum nobis illum exhibeat, eiusque carnem anima praeditam, id est, rationabilem, haudquaquam *ab eo* alienam [5]? »

* p. 228.

Illam autem humanitatem, quae pulchre etiam « natura hu-

[1] Cfr *Ephes.*, II, 6. — [2] *P. Gr.*, L, 444. — [3] *Ibid.*, 445. — [4] *P. Gr.*, LXXVI, 169. — [5] *Ibid.*, 172.

mana », tanquam a Deo Verbo divisa, ab impiis dicitur, et ad thronum supra omnes principatus *constitutum* elevata est, quid aliud esse censebimus, nisi hominem cum sancta Trinitate regnantem et adoratum? Sic etiam Cyrillus, in tomo secundo eiusdem operis, Nestorium adducit audacter ita dicentem: NESTORIUS: « Inconfusam igitur servemus naturarum adhaesionem; confiteamur Deum eum, qui *est* in homine; adoremus hominem per divinam adhaesionem cum omnipotenti Deo adoratum[1]. » Et in oratione de * Ascensione, cuius initium est: « Imber divinae bonitatis[2] », iste iniquus dixit haec: NESTORIUS: « Caelum aperiebatur; apparebat homo; surgebant Throni; Principatus mirabantur; Dominationes glorificabant; Potestates ante illum currebant; Seraphim obviam ibant; Cherubim prosternebantur; Spiritus confirmabat gloriam; Pater super solium sedebat et « Sede a dextris meis » dicebat « donec ponam inimicos tuos scabellum sub pedibus tuis[3] ». Quantum elevata est natura, tantum adversarius cecidit et factus est sub pedibus illius, cuius ab initio ipse caput calcabat[4]. »

* p. 229.

Rursus locum eiusdem apponit, ex homilia cui titulus: « De Christi nativitate[5] », sic se habentem: IOHANNIS *locus*, QUEM ADDUXIT GRAMMATICUS: « Talis erat Christus *hodie* natus, caelestis et terrenus, comprehensus et incomprehensus, visibilis et invisibilis: caelestis secundum divinitatis naturam, terrenus secundum humanitatis naturam; visibilis secundum carnem, invisibilis secundum spiritum; comprehensus secundum corpus, incomprehensus ut Verbum[6]. » In iisdem erroris sententiis natans hunc etiam locum apposuit. Et ignorat hominem quoque nostri similem mortalem quidem esse secundum corporis naturam, sed secundum animae naturam eundem rursus *esse* immortalem; non tamen duas naturas et hypostases hominem *esse*, sed unam ex duobus naturam atque hypostasim. Sic et Christus, secundum divinitatis naturam caelestis, sed secundum humanitatis naturam terrenus idem una ex duobus est natura et hypostasis Verbi incarnata. Iam enim prius nos Doctor docuit

[1] *P. Gr.*, LXXVI, 109; cfr LOOFS, p. 249. — [2] Cfr initium orationis in Ascensionem sancto Nilo attributae apud Photium, *P. Gr.*, CIV, 256. — [3] *Psalm.* CIX, 1-2. — [4] Locum non repperi. — [5] *P. Gr.*, LXI, 763. — [6] *Ibid.*, 764.

propter differentiam et inconfusionem substantiarum divinitatis et humanitatis illum unum, qui per unionem exsuperantem * omnem cogitationem et *omne* verbum absolutus est, in duo non dissecari, utroque ad propriam diversitatem recedente: hoc enim est dualitas. Nam dixit: IOHANNIS *verba*: « Aliud vero dixi, secundum substantiam. Unione enim et adhaesione unum est Verbum et caro[1]. » Porro, solutio vel declaratio illius loci antea fuse apposita est[2], ubi consideravimus illud sancti Cyrilli scholion, cui titulus: « De passione Christi, et quod utile est illud: « secundum aliud et aliud » de uno eodemque dictum, nec dividimus in duo[3] »: ideo aliquid etiam supervacaneum me facturum esse puto eidem errori iisdem *argumentis* etiam occurrendo.

* p. 230.

CAPUT TRICESIMUM SEPTIMUM

Loci Gregorii, episcopi nazianzeni, similiter redarguentes mendacium et impietatem eorum, qui illos adducunt eiusque qui, ex iisdem excusationibus colligens erroris excusationes, illos exscripsit, atque veritatis vim ostendentes.

Deinde apponit locos Gregorii Theologi, episcopi nazianzeni, qui enodati sunt in iis, quae supra a nobis considerata sunt, et visi sunt errorem illius redarguere. Hic autem solummodo necesse est falsificam et audacem et immundam manum eius reprehendamus atque ea, quae supra omissa sunt, dicamus. Cum enim ex epistula ad Cledonium sententiam apposuisset, quae dicit: « Ambo enim haec unum *sunt* in contemperatione[4] », illi *sententiae* agglutinavit, corrigendo ipsum Doctorem: « potius autem in unione ». Itaque tempus est ad impium, * qui eadem ac Nestorius insania insanivit, ulterius dicendi ea, quae in primo tomo adversus Nestorii blasphemias sanctus Cyrillus scripsit sic: CYRILLUS: « Nomen enim contemperationis posuerunt nonnulli etiam ex sanctis Patribus; sed quia metuere te dicis ne qua confusio accidisse existimetur, liquidorum instar quae inter se mutuo commiscentur, libero te his terroribus: non sic illi senserunt, minime; sed ea voce usi sunt, cum sublimem unionem re-

* p. 231.

[1] *P. Gr.*, LIX, 80. — [2] Cfr supra, p. 156. — [3] *P. Gr.*, LXXV, 1404 (latine tantum). — [4] *P. Gr.*, XXXVII, 180.

rum inter se convenientium ostendere studerent. Convenisse autem dicimus, secundum indissecabilem et indissolubilem unionem, cum propria carne Dei Verbum. Inveniemus autem ipsam quoque inspiratam Scripturam non admodum anxie scrutantem illam vocem, sed illam potius per abusionem et simpliciter ponentem. Itaque divus Paulus de quibusdam scripsit: « Sed non profuit illis sermo auditus, non contemperatis fide cum iis, qui ipsi audierant[1] ». Num igitur eo modo inter se contemperandi erant, quo vinum cum aqua, et hypostasium inter se confusionem subituri ii, de quibus sermo fit? aut potius secundum animam uniendi, iuxta illud, quod in Actibus apostolorum scriptum est, scilicet multitudinis eorum, qui crediderant, fuisse cor *unum* et animam unam? Sed puto id verius esse quam illud. Itaque recede a terroribus hac de re; nam omnino tuta est mens sanctorum[2]. » At insanus Grammaticus sibi videtur per fictionem Doctorem theologum tanquam parum tutum corrigere: quod ne Theodoretus quidem praesumpsit, *etsi impietate elatus, sed in iis, quae ad impium Iohannem, qui *erat* ex Ægaeis Ciliciae[3], scripsit, purum ab isto conficto additamento locum adduxit, in hoc veritatem non adulterans.

* p. 232.

At quia ex oratione apologetica *Gregorii* Grammaticus adversus semetipsum apposuit locum, cuius in antea consideratis nullam mentionem feci, illum quoque apponere iuvat, sic se habentem: Gregorii Nazianzeni *locus*, quem adducit Grammaticus: «Hoc nobis magistra Lex *praestare vult*: hoc ii, qui inter Christum et Legem *fuerunt*, prophetae; hoc spiritualis legis consummator et consummatio, Christus; hoc exinanita divinitas; hoc assumpta caro; hoc nova mixtio, Deus et homo, unum ex utroque et utrumque per unum. Propter hoc Deus, mediante anima, cum carne contemperatus est et ea, quae inter se distabant, per intermedii ad utrumque affinitatem colligata sunt[4]. » Quid accuratius quam iste locus dici posset? Ideo enim per unum Emmanuelem duo videbantur, Deus et homo, quia unus erat is, qui ex duobus per unionem absolutus est. Quam *unionem Gregorius* vocavit mixtionem et colligationem et contemperationem[5]: non

[1] Cfr *Hebr.*, IV, 2. — [2] *P. Gr.*, LXXVI, 33. — [3] De illo Iohanne deque Theodoreti scripto ad illum, cfr supra, p. 74 et t. I, p. 218. — [4] *P. Gr.*, XXXV, 432. — [5] μίξις, σύνδεσμος, ἀνάκρασις.

quod mixtio confusionem, colligatio aliquam necessitatem atque coactionem, contemperatio confusionem vel corruptionem induceret, — quae accidere nequeunt, unito Deo cum carne rationabiliter animata; — omnia autem nomina pari modo puritatem et sectionis atque conversionis immunitatem unionis ostendunt. Quodsi illum ex duobus unum non confiteamur, iam non apparebit per unum utrumque, Deus et homo idem, sed ex dualitate naturarum post unionem *agnita apparebit* separatim hic quidem Deus, ille autem homo.

* p. 233.

* Proinde synodus chalcedonensis, quae *formulam* « ex duobus » reiecit, et eius loco maluit dicere « in duabus » naturis intelligi unum Christum, adversatur voci Gregorii Theologi, quae dicit: « Hoc nova mixtio, Deus et homo, unum ex utroque et utrumque per unum[1] ». Sic etiam quoad communem hominem[2], qui ex anima et corpore una est persona et ex duobus una hypostasis atque natura, hac voce συναμφότερον invenimus ipsos Patres usos esse; attamen non ideo dicunt hominem duas esse naturas atque hypostases, non autem unum. Etenim eximius Cyrillus, in oratione prosphonetica ad piissimum imperatorem Theodosium, scripsit sic: Cyrillus: « Non alienum autem ab eo est id, quod assumptum est, sed vere illius proprium censetur; quapropter unum *est* cum ipso. Quemadmodum etiam quoad hominis compositionem animadverti potest: implicatur enim ex rebus inter se natura dissimilibus, scilicet ex anima et corpore; unus tamen homo intelligitur utrumque simul[3]. »

Rursus cum Gregorius Theologus, in oratione de Epiphania, de Deo et Salvatore nostro scripsisset sic: Gregorius Nazianzenus: « Missus quidem est, sed ut homo; duplex enim erat, siquidem et fatigatus est, et esuriit, et sitivit, et anxiatus est, et lacrymas fudit, iuxta corporis legem[4] », stultus Grammaticus, alienorum figmentorum haeres, ignarus et hebes, Doctoris verba sic adulterata apposuit: Corruptio loci supra *laudati* Gregorii, quem haeretici corruperunt sic: « Missus quidem est, sed ut homo; duplex enim erat natura in eo. Utique exinde fatigatus est, et esuriit, [et sitivit][5], et anxiatus est, et lacrymas

[1] *P. Gr.*, XXXV, 432. — [2] ὁ καθόλου ἄνθρωπος. — [3] τὸ συναμφότερον; *P. Gr.*, LXXVI, 1169. — [4] *P. Gr.*, XXXVI, 328. — [5] Haec videntur casu excidisse.

* p. 234. fudit, * iuxta humani corporis legem[1]. » Quis ergo huiusmodi homines vocabit christianos et non filios Satanae, qui mendacium primo invenit? qui « in veritate non stetit », iuxta vocem Salvatoris in evangelio: nam « cum mendacium loquitur, ait, ex propriis loquitur[2] », « et non de ore Domini[3] »: nam hoc quoque ex sermone prophetico *in illos* conferemus. Si enim sacra sanctorum Patrum scripta ipsis opitulantur, cur illis adiungunt ea, quae *Patres* non dixerunt et verba, quae sibi placent, illis inserunt? Ad illos rursus Isaias propheta, perite iaculans[4], dicet: « Digiti vestri in peccatis; labia vestra locuta sunt peccatum et lingua vestra iniquitatem meditatur[5]. » Hanc enim sancti Gregorii de Epiphania orationem, apud omnes nominatam et sine adulteratione apud omnes servatam, deberent revereri, non autem pollutam et ad omnia confingenda paratam manum etiam in illam audacter extendere. Praeterea, in antea consideratis[6] ipsi fuse ostendimus quomodo Patres Christum dixerint « duplicem », quatenus *nempe* duplex est contemplatio et sermo de illo: qui, semper Deus exsistens, postea propter nos immutabiliter factus est homo, in quo etiam missus a Patre dicitur, et illud quidem, cum omnia ut Deus implet. Et ideo praestantissimum doctorem apostolicum Athanasium adduximus[7], qui sic dixit: Athanasius: « Hic igitur scopus et character divinae Scripturae, ut saepe diximus: duplex in ipsa est significatio circa Salvatorem nostrum, quod scilicet Deus erat et est * p. 235. Filius, et Verbum est et sapientia et splendor * Patris, et quod postea propter nos, assumendo carnem ex Virgine Dei genetrice Maria, homo factus est[8]. »

His consonantia cum Gregorius Theologus et ipse sentiret, sic dixit: Gregorius Nazianzenus: « Missus quidem est, verum ut homo: duplex enim erat[9] », cum prohiberet quominus infandi Ariani ad ordinem inhumanatione priorem et ad subsistentiam Verbi ante saecula exsistentis, quasi creatura et non creator esset, referrent humilitatem et demissionem missionis acceptae. Tunc enim, cum incarnatum est et homo factum.

[1] *P. Gr.*, LXXXIII, 192. — [2] Ioh., viii, 44. — [3] Ierem., xxiii, 16. — [4] Sensus mihi dubius. — [5] Isai., lix, 3. — [6] Cfr supra, cap. xxiv. — [7] Cfr supra, p. 22. — [8] *P. Gr.*, XXVI, 385. — [9] *P. Gr.*, XXXVI, 328.

ipsi *Verbo* congruere dicit *Gregorius* illud, nempe quod missum est a Patre, cum iuxta corporis legem et esurire et sitire et cetera his similia sustinuit. Duplicem enim Christum, post ineffabilem unionem, nullo modo agnoscebat, quasi in duabus naturis subsistentem: quod istorum impiorum assertio intendit. Unum enim ex duobus illum proclamat, in hac ipsa oratione de Epiphania, sic dicens: Gregorii *verba:* « Genitus autem Deus cum assumptione, unum ex duobus inter se contrariis, carne *nimirum* et spiritu, quorum alterum quidem deificavit, alterum autem deificatum est. O novam mixtionem! O miram contemperationem! Qui est, fit; et creator creatur[1]! » Cum ergo Emmanuel ita se habeat et ex duobus inconfuse unus sit, unaque hypostasis et natura, id est, Verbum perfecte incarnatum et inhumanatum, idem et modo Deum decente et humanitus loquebatur et duplicibus sermonibus et operationibus utebatur. Igitur etiam secundum hoc duplex est contemplatio circa ipsum; non autem propter diversam sermonum et actionum speciem *Gregorius Emmanuelem* dissecat naturarum et formarum dualitate post * unionem, ita ut una quidem operetur et loquatur divina, altera vero humana: quod nihil aliud est, nisi dualitas * p. 236. christorum atque filiorum. Illudque manifesto ostendimus sapientem Cyrillum, in iis, quae adversus Theodoretum, quartum capitulum cum blasphemia reprehendentem, *scripsit*, hoc modo docentem: Cyrillus: « Melius autem dixerim et longe eruditius esse voces humanas referre non ad alteram personam magis, quae intelligatur singillatim et seorsum Filius, ad formam servi, sicut illi dicere solent, sed illas potius tribuere mensuris humanitatis eius. Oportebat enim eum, cum sit simul Deus et homo, per utrumque sermonem procedere[2]. »

CAPUT TRICESIMUM OCTAVUM

Loci Gelasii, episcopi Caesareae Palaestinae, et Cyrilli, episcopi hierosolymitani, similiter redarguentes mendacium et impietatem eorum, qui illos adducunt eiusque, qui illos exscripsit.

[1] *P. Gr.*, XXXVI, 325. — [2] *P. Gr.*, LXXVI, 413.

At Grammaticus, cum illas rectas doctrinas post tergum suum proiecisset, ut dixit quidam ex prophetis [1], et alienis excerptis impie gloriaretur, apposuit locos Dei amantissimorum venerandaeque memoriae Gelasii, episcopi Caesareae Palaestinae et Cyrilli hierosolymitani, in quibus duplicem dixerunt Christum, secundum rationem antea a nobis redditam. Quod manifesto confirmabit unus tantum Dei amantissimi Gelasii locus, qui in medium producetur et piam utriusque mentem revelabit. Habetur autem in nona oratione * catecheseos illius, sic positus: GELASII *locus,* QUEM ADDUCIT GRAMMATICUS: « At non poterat lingua humana sola hoc facere: infirma enim erat natura. Convenerunt ergo in idem Deus et homo, ita ut corpus quidem ministraret, Deus autem per illud efficientiam daret. Duplicia omnia, et vera omnia, et perfecta omnia, et occludatur omne os haereticum [2]. Nobiscum Deus; nobiscum ille, qui ex Patre; nobiscum ille, qui ex nobis. Caro mea, inquit, ex illis. Sed hoc quidem semper, illud autem propter nos: divinitas quidem semper, humanitas autem propter nos [3]. » Haec consonant sententiis modo appositis Athanasii et Cyrilli, episcoporum et praeclarorum doctorum ecclesiae Alexandrinorum. Dixit enim Athanasius duplicem esse divinarum Scripturarum narrationem: illum *nimirum* semper Deum esse, illumque postea propter nos immutabiliter factum esse hominem [4]. Gelasius autem dixit: « Nobiscum ille, qui ex Patre; nobiscum ille, qui ex nobis. Sed hoc quidem semper, illud autem propter nos: divinitas quidem semper, humanitas autem propter nos [5]. » Itaque, secundum temporum distinctionem, duplex est sermo de Salvatore omnium nostrum Christo; non autem ipse Christus est duplex, quasi in duabus naturis subsistens et intellectus, sicut impiis mendaciter asserere placet. Etenim Dei amantissimum Gelasium etiam secundum temporum distinctionem dixisse « duplex », illae quoque profitentur sententiae, quas post *adductum* locum protulit sic: GELASIUS: « Non novum igitur est christianorum dogma, sed « ab initio, a diebus aeternitatis [6] ». Si vero in fine temporum inhumanatio facta sit, glorificetur Deus, qui in fine misertus est [7]. » Cum

[1] Cfr ISAI., XXXVIII, 17. — [2] Hucusque *P. Gr.*, LXXXVI, 1313. — [3] Alteram partem loci non repperi. — [4] Cfr supra, p. 172. — [5] Ut supra, n. 3. — [6] MICH., V, 2. — [7] Locum non repperi.

enim sanctus Cyrillus dixisset: « Oportebat enim eum, cum sit simul Deus et homo, * per utrumque sermonem procedere [1] », et ostendisset se duplicitate uti [2] propter diversas tum voces tum actiones, quarum has quidem divinitus, illas autem humanitus idem operatur et loquitur, — una enim est operatio, id est, motus operativus, sicut etiam *unus est* sermo incarnati Verbi, etsi diversa erant acta et dicta, — ipse quoque venerabilis Gelasius dixit: GELASIUS: « Duplicia omnia, et vera omnia, et perfecta omnia, et occludatur omne os haereticum [3]. »

Nam neque seipsum confiteri in duabus naturis Salvatorem nostrum Christum subsistere, sed unum ex duobus, ex divinitate et humanitate esse, significavit *Gelasius,* qui in oratione sexta catechesium scripsit sic: GELASIUS: « Deus enim erat is, qui venit, simili similem salvans, per novum Adam veterem Adam, ex eadem massa, ex eadem conspersione ac ille, qui ab initio creatus est; cuius etiam adventus mixtus est, ex humanitate et divinitate [4]. » Seipsum autem agnoscere eundem et miracula, ut Deum decet, operantem et humana patientem simul ut Deum et ut hominem, ostendit sub fine nonae orationis catechesium scribendo haec: GELASIUS: « Dormivit, pervectus in navi, ut homo: humanum enim corpus habebat; increpabat autem fluctus ut Deus: ipse enim maris Dominus erat. Manducavit, ut homo; fontes autem fragmentorum, ut Deus, largitus est. Exegerunt ab eo censum possessionum ipsius; secreta autem virtute piscem effecit ministrum mandatorum suorum [5]. »

Cum istis quomodo aliquis componet *verba* Tomi Leonis, qui nescit dicere *Christum* id quidem operatum esse * miraculose, — hoc enim confiteri eorum est, qui illum agnoscunt *ut* inhumanatum Deum, ut Deum, illud autem ut hominem passum esse, — sed *illum* manifesto dividit, homini quidem passiones expresse tribuendo, Dei autem sine ambiguitate miracula esse dicendo. Gelasio autem non, sicut *Leoni,* opus est interrogare « quae natura pependerit in ligno crucis [6] », sed docet impassibile Verbum in corpore passibili sustinuisse crucem, et in duo-

[1] *P. Gr.*, LXXVI, 416. — [2] Id est, se « duplicitatem » quamdam in Christo admittere. — [3] *P. Gr.*, LXXXVI, 1313. — [4] Locum non repperi. — [5] Item. — [6] Cfr *P. Lat.*, LIV, 775.

decima catechesium oratione scripsit sic: Gelasius: « **Patiebatur propter homines, qui passionibus non subicitur, et seipsum** compensationem pro nobis dabat, iustus pro iniustis [1], corpus **a** peccato mundum suppliciis propter peccatum *debitis* tradens et delictum per lignum *commissum* solvens per mortem in ligno [2]. » Similiter etiam in oratione vicesima: « Sanctus erat Adam in principio in paradiso et spiritualis, protoplastus, ad imaginem Dei. Cum autem ab imagine decidit, iam non erat spiritualis, sed « comparatus est iumentis insipientibus, et similis factus est illis [3] »; quapropter mortuus est impassibilis, ut sua morte illum ad eam, quae in principio *erat*, imaginem reduceret [4]. »

Cur ergo desipuerunt isti impii, qui duplicitatem illam, quae secundum temporum distinctionem et secundum actionum et sermonum differentiam *habetur*, ad naturarum vel hypostasium duplicitatem traxerunt, ut in duo unam ex duobus hypostasim atque naturam, *scilicet naturam et hypostasim* Dei Verbi incarnatam dissecarent? Sic enim etiam Cyrillus, qui sancte sedit in sede principali civitatis Hierosolymitanorum, in quarta decima catechesi sua, scripsit: Cyrillus Hierosolymitanus: « Christi adventum annuntiamus, non unum tantum, sed * et alterum priore multo speciosiorem. Prior enim patientiae ostensionem habebat, alter divini regni diadema fert. Nam ut plurimum omnia duplicia sunt apud Dominum nostrum Iesum Christum. Nativitas duplex: una ex Deo ante saecula et una ex Virgine in consummatione saeculorum. Descensus duplices: unus obscurus, tanquam *pluviae* in vellus [5], et alter conspicuus, nimirum futurus. In primo adventu pannis involutus est in praesepio [6]; in secundo, amicitur lumine quasi vestimento [7]. In primo, sustinuit crucem, confusionem aspernatus [8]; in secundo, venit exercitu angelorum glorificatus [9]. » Ecce hic quoque manifesto *habetur* temporum distinctio et nativitatum diversitas: eius, quae ante saecula et divina ex Patre *est*, et eius, quae in novissimis diebus secundum carnem ex Virgine Dei genetrice *facta est*. Distinctio quoque duorum descensuum: primi, qui de

* p. 240.

[1] Cfr I Petr., iii, 18. — [2] Locum non repperi. — [3] *Psalm.* xlviii, 13. — [4] Locum non repperi. — [5] Cfr *Psalm.* lxxi, 6. — [6] Cfr Luc., ii, 7. — [7] Cfr *Psalm.* ciii, 2. — [8] Cfr *Hebr.*, xii, 2. — [9] *P. Gr.*, XXXIII, 869.

caelis, ignoti atque obscuri, secundi vero et ultimi, de caelis quidem, sed conspicui et cum ea angelorum ordinum pompa, quae Deum decet. Non quod duplex sit, *quatenus* in duabus naturis et hypostasibus subsistat: illum enim, qui pannis *involutus est*, ipsum esse dixit, qui amictus est lumine quasi vestimento; illum, qui crucem sustinuit et exinde *ortam* confusionem aspernatus est, ipsum *esse dixit, qui* exercitu angelorum glorificatur. Itaque illum duplicem veluti secundum significationem et temporalem comparationem, quemadmodum etiam sapiens Athanasius dixit, *scilicet* quatenus duplex est circa ipsum narratio et scopus divinae Scripturae *ostendentis* illum, cum semper Deus esset secundum id, quod est absconditum et invisibile, natum esse ex Deo et Patre invisibili, cuius et imago est, illumque, cum incarnatus est * postea, ex Virgine Dei genetrice Maria hominem factum esse, — *illum, inquam*, consequens est ut intelligamus et ut Deum miracula operatum, et ut hominem eundem humana passum, neque ponamus, post inexplicabilem unionem, duas formas, quarum una quidem coruscat miraculis et agit quod proprium est, altera autem succumbit passionibus et iniuriis [1].

* p. 241.

Quapropter, cum sibi consequenter et sentiret et diceret, ut diximus, sanctus Cyrillus dixit sic: Cyrillus: « Duplex erat Christus: homo quidem, secundum visibile, Deus autem, secundum invisibile; manducans quidem, ut homo, vere et sicut nos, — habebat enim similes nobis corporis passiones [2], — nutriens autem ex quinque panibus quinque milia *hominum* ut Deus; moriens quidem vere, ut homo, sed mortuum quatriduanum suscitans ut Deus; dormiens vere in navicula ut homo, et ambulans super aquas ut Deus. [3] »

Cum autem virtus illorum *verborum* Grammaticum lateret, nullumque librum integrum legeret, sed omnia iuxta aliena excerpta scriberet, ultimas tantum sententias, quae in fine *loci habentur*, apposuit, existimans illas sibi auxilio futuras ad falsum [4] et commentum impietatis suae. Illis autem *sententiis* coniunxit alium locum, tanquam eiusdem doctoris, ex oratione cui titulus: « De eo quod « Vado ad Patrem meum. Et quodcumque

[1] Cfr *P. Lat.*, LIV, 767. — [2] τῆς σαρκὸς τὸ ὁμοιοπαθὲς ὡς ἡμεῖς. — [3] *P. Gr.*, XXXIII, 468. — [4] πλαστογραφία.

petieritis in nomine meo, hoc faciam: ut glorificetur Pater in Filio [1] ». Ego vero multo cum labore istam orationem cum quaesierim, hactenus eam invenire non potui: mihi enim non ex fragmentis sed ex integris orationibus veritatem investigare placet. Attamen *, quia isti impii in illo loco « personae adhaesionem [2] invenerunt, quasi Nestorii doctrinam expiscati exsultant; nam iste quoque iniquus *Nestorius* machinabatur ut unum secundum personae adhaesionem Christum diceret, ut in antea dictis ostendimus.

* p. 242.

Omnes autem locos, quos consideravimus, ita laceros, ita adulteratione admixtos, sicut egregius Grammaticus illos apposuit, protulerunt etiam impii in regia civitate, cum ad disputationes *instituendas* me adierunt, et arguti sunt speciem quidem pietatis, ut quodam loco dixit Apostolus, sibi falso attribuere, virtutem autem eius abnegare [3], atque Nestorii, a quo se faciem suam avertere et refugere simulabant, placita profiteri. Etenim illam quoque orationem habeo, quam nonnulli composuerunt ad Marcianum, qui ditionis romanae gubernationem olim tenebat, et illos ipsos locos, quos ita isti *orationi* subiunxerunt.

Et haec quidem diximus ad ostendendam sanam rectamque doctorum pietatis mentem atque multiformem impiorum errorem; omnes autem orthodoxiae filii et christianorum appellationem sibi vindicantes, universas retinent improbationes *vocum*, quas sanctus Cyrillus, Alexandrinorum civitatis episcopus, cum priorum doctorum instar decertaret atque Nestorii placitorum sectatoribus omnem aditum praecluderet, dicendas non esse decrevit: quas *improbationes* isti quoque *impii*, cum Patrum verbis ea, quae ex miserabili corde suo *procedunt*, adiunxerint, necessarias esse demonstrarunt. Quapropter neque vocantibus quibusdam Christum duplicem rursusque hominem deiferum, neque iis, qui adhaesionem dicunt *esse* illam supra naturam et inexplicabilem unionem, consentiunt; * cuius *modi agendi* rationem in antea consideratis fuse reddidimus.

* p. 243.

[1] IOH., XIV, 12-13. De huiusmodi oratione sancto Cyrillo attributa cfr *P. Gr.*, LXXXVI, 1836. — [2] τὴν τοῦ προσώπου συνάφειαν. Hanc formulam in quodam loco, qui sancto Cyrillo attribuitur, habes apud DIEKAMP, *Doctrina Patrum*, p. 20. — [3] Cfr II *Tim.*, III, 5.

CAPUT TRICESIMUM NONUM.

De locis, qui ex sancto Ephraemo Syro ab impiis exhibentur, rursusque ex Cyriaco, episcopo Paphi, et Isidoro, episcopo Pelusii, deque tum personarum tum doctrinarum fictione, quae in illis *reperitur*. Investigatio ostendens sanctum Athanasium non censuisse Christum in duabus naturis seu substantiis subsistere. Explicatio apostolici effati dicentis: « In ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter [1] ». Confutatio illius, qui indocte decrevit unam Unigeniti hypostasim non dici « naturam » absque determinatione, sed *tantum* si apponatur « Dei Verbi » vel « Filii ».

At impii, cum neque ab ipsa veritate, neque ex scriptis omnibus notis vim ullam obtineant, ad conficta minimeque probata [2] *scripta* confugiunt. Etenim sancto Ephraemo tribuerunt orationem quamdam, cui titulus: « In margaritam », et exinde verba, quae sibi placent, exhibere volunt. Ego autem hanc ipsam orationem quaesivi in Syrorum lingua, in qua primitus dicta est, si unquam dicta sit, — syrus enim erat Doctor; — *illam* quaesivi etiam in Mesopotamia et in ipsa Christi amantissima civitate Edessenorum et circum inclitam illam metropolim, in qua ille sanctus docebat, itemque in toto Oriente, ac tandem ne ipsum quidem orationis titulum cognitum esse repperi.

Potuissem quidem et ego complures ad veritatis demonstrationem adducere voces ex aliis *Ephraemi* orationibus *, quae in linguam graecam susceptae sunt et circumferuntur; audax autem atque imprudens mihi visum est ex iis, quae arbitrario et sparsim atque vario modo variis temporibus a quolibet occurrente offeruntur, divinorum dogmatum demonstrationem tradere; potest enim vel una vox alio modo posita id, quod recte dictum est, in blasphemiam mutare atque id, quod probatissimum est, adulteratum et alienum exhibere. Ideo ipsa quoque sancta et universalis synodus Ephesi *congregata*, quae Nestorium deposuit, cum permultorum orthodoxorum doctorum verba ad confutationem impietatis illius in medium proferret atque ex illis sententiam adversus blasphematorem diceret, nullum verbum accepit, quod dictum fuerat ab iis, qui in episcopatu

* p. 244.

[1] *Coloss.*, II, 9. — [2] ἀνεπίδεικτος.

non fuerant et ex ordine ecclesiastico. Hac enim ratione ea etiam quae ex Occidente interdum a sanctis episcopis scripta fuerant et ecclesiastice atque legitime ex lingua latina in graecam translata fuerant et ad sanctas ecclesias in Oriente constitutas missa fuerant, *synodus ephesina* suscepit.

Haec autem narravi propter diligentem agnitionem divinarum institutionum Patrum, cui prorsus necesse est eos, qui veritati student, adhaerere. Ceterum fateor sanctum Ephraemum sapientem inter Syros doctorem fuisse, et de illo sanctum Basilium, in secunda oratione de Hexaemero scripsisse haec: BASILIUS: « Dicam tibi non meam, sed viri syri sententiam, qui tantum a mundana distabat sapientia quantum ad rerum verarum scientiam appropinquabat[1]. » Hoc autem dixit, quia certo illi occurrerat dum viveret hac vita * humana atque audito sermonem ex lingua *illius* procedentem interpretis ope susceperat: quod etiam manifesto significavit *Basilius* pergendo: « Aiebat igitur[2] », quod verbum non scriptum, *sed* in colloquio *prolatum* significat.

* p. 245.

At, tempus est dicendi, iuxta sacrum Proverbiorum librum: « Non est sapientia, non est virtus, non est consilium apud impium[3]. » Etenim, etiamsi quis eos decies milies potenter et sapienter cum Dei sensu et sapientia redarguerit atque mendacium eorum absciderit, iterum, ut serpentis illius, qui tanquam in fabula a paganis hydria dicitur, post priorum abscissionem nova mendaciorum capita germinabunt. Cum enim non potuissent, ut dixi, in celebratissimis scriptis Patrum, qui eximie docuerunt, usquam ostendere Christum in duabus naturis vel substantiis subsistentem et intellectum dici, locum confinxerunt eique titulum imposuerunt: « Cyriaci, episcopi Paphi, seu Spyridionis[4] », malam sententiam suam huic *viro* tribuentes. Iam vero huius Spyridionis Socrates, in sua historia ecclesiastica, in capite duodecimo libri primi[5], mentionem fecit, sed non dixit eum vocatum fuisse Cyriacum, neque episcopum Paphi fuisse, sed alius oppiduli in insula Cypro siti; neque rursus *Socrates dixit Spyridionem* habuisse sermonem doctrinae

[1] *P. Gr.*, XXIX, 44. — [2] *Ibid.* — [3] *Prov.*, XXI, 30. — [4] Locum sub nomine Cyriaci, episcopi Paphi, videas, v. gr., *P. Gr.*, LXXXVI, 1312. — [5] Cfr *P. Gr.*, LXVII, 104.

sed prodigiorum atque virtutum operationibus ornatum fuisse; nam, iuxta effatum Apostoli, alii quidem datur sermo sapientiae per Spiritum, alii autem *dantur* operationes virtutum[1].

Hoc autem dixi, non perinde ac si sanctus Spiritus non potuisset omnia huiusmodi charismata uni etiam viro donare, * quemadmodum etiam apud apostolos fecit, sed propterea quod sanctum Spyridionem doctrinae sermonem habuisse scriptor non testatus est, cum haec dixit: SOCRATES: « Quod autem ad Spyridionem attinet, tanta in eo *adhuc ovium* pastore sanctitas inveniebatur, ut dignus habitus sit qui hominum quoque pastor fieret. Hic etiam sortitus est episcopatum alicuius ex Cypri urbibus, nomine Teremithuntos; verum, ob multam humilitatem etiam dum episcopatum teneret, oves quoque pascebat[2]. » Cumque praeterea duo tantum miracula narrasset ex multis illis, quae per illum facta sunt, atque dixisset latrones noctu ovium eius gregem invasisse, quos invisibili quodam modo ligatos ostendit, itemque filiam suam defunctam a mortuis suscitasse ut indicaret de abscondito deposito, quod ipsi tanquam fideli et tanti iusti filiae tradiderat homo quidam, qui querebatur quod iactura *depositi* ipsum in paupertatem detruderet, *Socrates* narrationi de illo finem fecit. At strenui isti patroni, qui impie asserunt in duabus naturis seu substantiis post ineffabilem unionem Christum subsistere, ad illum tantum tamque sua conversatione conspicuum virum orationem non exsistentem retulerunt atque propriam ipsorum insaniam attribuerunt. Ideo nobis etiam liceret, quia idem scriptor Socrates Paphnutium memoravit, episcopum alicuius civitatis Thebaidis Ægypti, cui eandem mirabilium signorum operationem a Deo datam esse testatus est, orationem confingere atque huic viro sua conversatione conspicuo tribuere et ex ea locum, qui nobis placuisset, * adducere, quia confutatio incerta foret. Haec autem non sunt nostrum, qui orthodoxiam profitemur, sed eorum qui, iuxta vocem prophetae Isaiae, formant deum et sculpunt inutilem[3]; sacrum enim Proverbiorum librum audimus dicentem: « Qui recte ambulat, timet Dominum; qui autem pervertit vias suas, despicietur[4]. »

* p. 246.

* p. 247.

[1] Cfr I *Cor.*, XII, 8, 10. — [2] *P. Gr.*, LXVII, 104. — [3] ISAI., XLIV, 10. — [4] *Prov.*, XIV, 2.

Etenim, ausi sunt isti, qui facile omnia audent adversus divinam gloriam, ambulare in gressibus et currere in via fictionis etiam adversus Isidorum sapientem in Domino presbyterum Pelusii, quem etiam episcopum vocaverunt isti, qui in nulla re veritatem habent. Hic enim erat, ut dixi, presbyter orthodoxus illius civitatis, plenusque erat divina sapientia et scientia inspiratae Scripturae, cuius explanationes recte faciebat. Fuit temporibus sancti Cyrilli, episcopi Alexandriae, et venerabilis Hermogenis, episcopi Rhinocorurorum, cuius mentio etiam invenitur in actis[1] eorum, quae Ephesi facta sunt circa depositionem Nestorii. His autem temporibus nullus apparet nomine Isidorus, qui fuerit episcopus Pelusii, nam operam dedi ut de hoc inquirerem. Ipse autem *Isidorus*, cum permultas scripserit epistulas, nusquam significando semetipsum episcopum esse scripsit. Mihi autem quidam ex illis, qui Pelusii senuerunt atque rebus divinis student, dixit illi *Isidoro* tres quoque assignari amplas[2] orationes adversus gentiles et de * eo, quod non sit fatum[3]; antiquum quoque mihi ostendit librum, in quo alicuius viri spiritualis christiani reperiebatur epistula, ab isto ad quendam amicum scripta, in qua admirabilis presbyteri Isidori habebatur salutatio huiusmodi: Ex EPISTULA ALICUIUS RELIGIOSI, CUIUS NOMEN IGNORATUR: « Salutatio venerabilis presbyteri Isidori, altaris Christi, vasis ministerii ecclesiarum, thesauri Scripturarum, patris verborum, gazophylacii virtutum, templi pacis[4]. » Ipse autem, cum ad Arpocram quendam scholasticum scriberet, scriptum a se contra gentiles compositum memoravit sic: ISIDORUS: « Quod divinandi ars apud gentiles nugacitas fuerit, atque incassum celebrata, a me demonstratum est in oratione contra gentiles[5]. » Et in una ex epistulis suis ad Herminum, commemorat etiam orationem *de eo* quod non sit fatum, sic: ISIDORUS: « Quoniam vero scripsisti orationem, — id est, si veritatem dicere oporteat, oratiunculam, a me olim scriptam esse de eo, quod non sit fatum[6]. »

* p. 248.

Cum ergo epistulae eius multae essent et ad tria fere milia pertingerent atque confuse in libris ponerentur quin numeralem

[1] πεπραγμένα. — [2] ἀξιόχρεως. — [3] πρὸς Ἕλληνας et περὶ τοῦ μὴ εἶναι εἱμαρμένην. Cfr *P. Gr.*, LXXVIII, 580, 664, 932. — [4] Locum non reperi. — [5] *P. Gr.*, LXXVIII, 664. — [6] *Ibid.*, 932.

ordinem servarent, — nam ab initio sub numero tradebantur; aliis autem variis temporibus alias *epistulas* exscribentibus, ex tanta confusione accidit ut eaedem epistulae bis terque in uno libro adessent, — arrepta ista confusione, isti strenui ad commentum *fingendum* iisque similes, qui a propheta David propter inanem mendacii machinationem reprehenduntur dicentes: «Labia nostra a nobis sunt; quis noster Dominus est[1]? », elegerunt personas, ad quas saepissime scripserat beatus * Isidorus, ut fide digna viderentur illa impudentiae ipsorum *figmenta, et* ad illas titulis indicarunt conficta istas epistulas scriptas esse. Etenim unam etiam ad Timotheum lectorem confinxerunt epistulam, in qua illa reperiuntur quae ii, qui Nestorii morbo laborant, adducere solent adversus confitentes unam esse naturam Dei Verbi incarnatam, ad calumniandum eos, ac si dicant confusione tum carnem tum divinitatem unam esse substantiam, propterea quod naturae appellatio communis est atque tum substantiae, tum hypostasis loco assumitur: dicitur enim et universum hominum genus et universa humanitatis substantia « una natura », id est, substantia; et talis homo *dicitur etiam* « una natura », id est, hypostasis; sic etiam sancta Trinitas proclamatur « una natura », id est, una substantia unaque trium hypostasium divinitas; rursusque *proclamatur* una Dei Verbi incarnata « natura », id est, hypostasis Verbi *quae* proprie et perfecte et immutabiliter inhumanata est. Itaque Grammaticus, qui animalis instar haereticae fraudis paleam comedit, confictum locum apposuit sic absque nomine, nesciens ad quemnam isti impii *epistulam* scriptam esse finxissent: CALUMNIA GRAMMATICI ADVERSUS ISIDORUM: « Isidori, episcopi Pelusii Ægypti. Omni igitur custodia serva cor tuum[2], ne unam Christi naturam post incarnationem suscipias: destructivus enim alterius *naturae* est consensus de una, sive divina *natura* mutata, sive nostra imminuta[3]. » Hanc autem calumniam manifesto dissipavit sanctus Cyrillus in multis quidem locis, sed praesertim in oratione per quaestiones et responsiones *procedente* de eo, quod unus *est* Christus. Inducit enim collocutorem suum hanc * haereticorum *sententiam* obicientem, ipsumque interrogantem sic: « ALTE-

* p. 249. — * p. 250.

[1] *Psalm.*, XI, 5. — [2] *Prov.*, IV, 23. — [3] *P. Gr.*, LXXVIII, 252; cfr *ibid.*, n. 1, et *P. Gr.*, LXXXVI, 1836, et LXXXIX, 156.

RIUS PERSONAE *verba*: Numquid ergo confusae sunt inter se ambae naturae et una *natura* facta sunt ambo? PRIMA PERSONA: At quis ita desipuerit et imperitus sit, ut existimet aut naturam divinam Verbi mutatam esse in id, quod non erat, aut carnem translatam esse secundum mutationis modum in *naturam* ipsius Verbi? Nullo enim modo *hoc fieri potest*: unum ergo Filium unamque naturam eius esse dicimus, etsi agnoscitur factus in assumptione carnis animam rationabilem habentis. Ipsius enim, ut dixi, facta est humanitas; concipitur autem a nobis haud secus quam hoc modo Deus simul et homo.[1]. »

Itaque hac de re sermonem in praecedentibus perfecte protulimus. At vero, postquam huiusmodi fundamentum fictionis impii posuerunt, et reiecerunt, ut putarunt, confessionem unius inconfuse ex duobus, divinitate et humanitate, *exsistentis* naturae et hypostasis, scilicet *naturae et hypostasis* Verbi incarnatae, introduxerunt suam *confessionem, iuxta quam* in duabus naturis proclamandus est unus Christus. Quia vero, secundum sacrum verbum in Proverbiis scriptum, « sapientes mulieres aedificaverunt domos », — sunt autem istae animae pure per fidem Christo desponsatae, quaeque veritatem mendacio praeferunt, — « stulta autem manibus suis evertit illam[2] », ita et isti manibus suis ea evertisse videntur, quae male aedificaverunt. Etenim unam quidem ad Theodosium diaconum *epistulam* confinxerunt aut admixtione adulterarunt, in qua hoc habetur: CALUMNIA GRAMMATICI ADVERSUS ISIDORUM: « In duabus naturis unus est Filius Dei et Deus[3] », aliam autem ad venerabilem Cyrillum, episcopum magnae Christique amantissimae civitatis Alexandriae, in qua hoc habetur: * RURSUS CALUMNIA GRAMMATICI ADVERSUS ISIDORUM: « In duabus naturis unus est Filius et Deus[4]. » Et me quidem invenisse in nonnullis codicibus: « Ex ambabus naturis unus est Filius », rursusque: « Ex duabus naturis unus est Filius », dicere omitto itemque prorsus supervacaneo adversus umbras pugnare, nam etiam in epistula ad Laeandrum idem prorsus inveniri potest altera vice[5] scriptum. Divina autem providentia manifesto ostendente, iuxta illud,

* p. 251.

[1] *P. Gr.*, LXXV, 1289. — [2] *Prov.*, XIV, 1. — [3] *P. Gr.*, LXXVIII, 409. — [4] Hac forma (ἐν δύο φύσεσιν) affertur locus, v. gr., *P. Gr.*, LXXXVI, 1828. — [5] δευτέρως.

quod in psalmo canitur: « Mentita est iniquitas sibi », Grammaticum iis ipsis, quae impudenter facit, ab exspectatis aberrare, placet nobis ex verbis, de quibus nulla est controversia, confutationem parare. Habentur nempe in conficta *epistula* ad sanctum Cyrillum haec: CALUMNIA GRAMMATICI ADVERSUS ISIDORUM: « ...nec ipse negabis, ut qui plurimas de his rebus sancti patris nostri, magni Athanasii, comprobationes habeas, viri qui divina eximie penetravit[1]. » Ostendant igitur impii illum rerum divinarum peritissimum Athanasium, quem potest quis absque peccato normam legemque orthodoxiae vocare, usquam in scriptis suis dixisse unum esse Filium aut Christum in duabus naturis, vel in duabus naturis aut substantiis Christum subsistere et intelligi, et tunc dabimus beatum quoque Isidorum et venerabilem Spyridionem totque alios quot isti voluerint, haec scripsisse. Si vero nusquam appareat magnum Athanasium hanc vocem scripsisse, Isidorus, divinae disciplinae peritus atque sagax, a veritate aberravit, iuxta fictionem eorum, ad magnum Athanasium referendo illud, *scilicet* dicendum esse in duabus naturis unum Christum esse atque subsistere.

* Ubi autem impii huiusmodi confusionem apprehenderunt et multitudinis epistularum falsationem[2] commenti sui perpetrarunt, aliam quoque contexuerunt ad ipsum sanctum Cyrillum epistulam, quae sic se habet: CALUMNIA GRAMMATICI ADVERSUS ISIDORUM: « Favor quidem haud acute cernit; odium autem prorsus non videt. Si ergo utraque albugine liberari velis, noli contendere ut violentae sententiae *a te* procedant, sed iusto iudicio causas committe, nam ipse etiam Deus, qui omnia novit priusquam fiant, descendere ac Sodomorum clamorem perspicere clementer dignatus est, nos accuratae scrutationis negotium docens. Multi enim ex iis, qui Ephesi congregati sunt, te traducunt ut tuas inimicitias persequentem, non autem ea, quae *sunt* Christi Iesu, orthodoxe quaerentem. Theophili, *aiunt*, ex sorore nepos est, qui illius sententiam imitatur. Ut enim ille manifestum adversus deiferum Deique amantissimum Iohannem furorem paravit[3], sic et iste gloriari expetit, etsi magnum est discrimen eorum, quae iudicantur[4]. »

* p. 252.

[1] *P. Gr.*, LXXVIII, 369. — [2] πλαστογραφία. — [3] Interpres videtur legisse non κατεσκέδασε, sed κατεσκεύασε. — [4] *P. Gr.*, LXXVIII, 361.

Aliam quoque simulaverunt epistulam, tanquam a patre Isidoro ad natum et filium Cyrillum scriptam, sic: CALUMNIA GRAMMATICI ADVERSUS ISIDORUM: « Divinae Scripturae exempla timeo et ea, quae necessaria duco, scribere cogor. Si enim pater sum, ut ipse dixisti, timeo condemnationem Heli, qui filios suos peccantes non castigavit; si vero, ut potius persuasum habeo, filius tuus sum, cum magni Marci speciem praeferas, Ionathae paena perterreor, qui patrem suum interrogantem * per hariolos non prohibuit: et ante eum, qui peccaverat, is qui prohibere poterat, in bello interiit. Itaque ne ipse condemner tuque a Deo iudiceris, comprime contentiones; vindictam iniuriae, qui a mortuis tibi debetur, a vivorum ecclesia ne repetas, neque aeternam ipsi dissensionem pietatis specie compares [1].» Ad piissimum autem imperatorem Theodosium huiusmodi impudentem epistolam de eodem negotio etiam scripserunt [2]. Illis ergo quomodo fides adhibeatur? Quomodo autem non merum mendacium tradant, *scilicet* sapientem Isidorum, audientem ab Apostolo cum modestia corripiendos esse eos, qui resistunt [3], probrosas huiusmodi epistulas scripsisse sancto Cyrillo, et quidem Ephesi praesidenti sanctae synodo, cuius etiam sententias violentas esse dixisset *Isidorus,* quia ab ipso Cyrillo vi exquisitae fuissent? Quomodo is, qui haec scribere ausus esset, depositionis sententia non fuisset eiectus? Quomodo paratus fuisset Cyrillus ad patrem vocandum eum, qui venerabili Theophilo furorem increpavisset? Quomodo haec dura non essent auribus piorum? Sic enim Theodoretus, etsi pro Nestorii impietate multum decertaverat, scribendo ecclesiasticam historiam sancti Iohannis depositionem silentio praetermisit, dicens se revereri atque erubescere eximiam virtutem eius, cuius depositio facta est, eorumque qui illam fecerunt [4], ita ut id, quod accidit, a malo tantum daemone ista excogitante actum haberetur.

Insanus autem Nestorius aperto capite *illa,* prout reperiuntur in istis epistulis, adversus sapientem Cyrillum pugnans, applicat magno Athanasio, * et successori eius Petro, et Timotheo, et Theophilo, ut qui affectu irae atque contentionis studio

[1] *P. Gr.*, LXXVIII, 392. — [2] Haec epistula forsan ea est, quae *P. Gr.*, LXXVIII, 361 reperitur. — [3] Cfr II *Tim.*, II, 25. — [4] Cfr *P. Gr.*, LXXXII, 1261.

adversus comministros suos commoti fuerint. In homilia, cui titulus: « De divina inhumanatione [1] », cuius initium: « Iucundam caritatis mensam apposuit nobis praecedens doctor [2] », dixit sic: NESTORIUS: « Docuit me et Moyses non conturbari propter aegyptiacam audaciam solutu facilem [3]. Nec beatum Flavianum conturbavit *haec audacia* similia his, quae modo, insane scribendo, neque eum, qui ante illum, inter sanctos *numeratum* Melitium. Quae tibi sunt, largiris. Malus homo de malis thesauris profert mala [4]. Das fructus, quos producis. Non potest arbor mala fructus bonos facere [5]. Beato quoque Attico itemque Nectario in probrosis scriptis munera tua gustanda praebuisti. Taceo de iis, quae *fecisti* adversus illum, qui inter sanctos, athletam Iohannem, cuius nunc cinerum memoriam vel invitus adoras [6]. » Sed et in Commentariis [7] mendaciter ab ipso compositis atque conditis adversus sanctam synodum ephesinam, haec narrat: NESTORIUS: « Et cum iis quidem, qui auro vel timore capti fuerant, concordia prompta erat; qui vero ab istis *immunis* [8] lectioni contradicebat, rapiebatur, ita ut multi quidem ope armorum familiarium suorum effugerent, multi autem qui confisi erant se, etiam si venissent, vim non esse passuros, extorta invita subscriptione lugerent. Cum enim eum theatrali furore surrexissent et in coetus locum venissent, subscriptionis causa unumquemque verberabant quasi condemnationi a synodo *latae* obsistentem [9]. »

Itaque si, ut vobis impiis placet, concordantia * cum Nestorio beatus quoque Isidorus scripserit, violentam vocando sanctam et legitimam synodum ephesinam, dicendo autem etiam in duabus naturis esse unum et indivisibilem Deum et Dominum nostrum Iesum Christum, clarissime significastis τὸ dicere in duabus naturis subsistere aut intelligi Emmanuelem eorum *formulam* esse, qui sanctam synodum ephesinam accusant insanosque vocant sanctum Theophilum et Cyrillum et doctores qui ante illos Alexandriae floruerunt, tanquam iracundos et contentiosos: haec enim etiam nunc susurrantes Nestorii scarabeos audire

[1] Cfr LOOFS, *op. cit.*, p. 297. — [2] *Ibid.*, p. 298. — [3] εὐδιάλυτος. — [4] MATTH., XII, 35. — [5] *Ibid.*, VII, 18. — [6] Cfr LOOFS, *op. cit.*, p. 300. — [7] ὑπομνήματα. — [8] ἐκτὸς τούτων, ut puto, id est, neque auro neque timore captus. — [9] Locum non repperi.

est. Proinde vos quoque, qui simulate ostentatis vos synodi ephesinae atque eximii Cyrilli observantissimos esse, impie vero confitemini in duabus naturis unum Dominum Iesum Christum esse et subsistere, una cum istis *impiis* statis et frustra pelle ovina abscondimini eo tantum consilio ut ingenuas animas spolietis et rapiatis. Si enim dederimus a Dei amantissimo Isidoro sanctum Cyrillum comparatum esse cum Saul, qui Deum et verba et leges eius dereliquit, et ad pythonissam deflexit, itemque *dederimus* inimico animo potius quam propter dogmatum religionem iustamque blasphemiarum Nestorii castigationem illa Ephesi facta et decreta esse, manifesto Isidorus, etsi angelus de caelo sit, hac in re suspectus videbitur ut qui ex passione potius quam propter veritatem scripserit atque docuerit, et universalem orthodoxamque synodum impugnaverit.

* p. 256.

Vos autem, quomodo non facti estis compluries * rei perditionis, qui testimoniis atque locis ab *Isidoro acceptis* in veritatem armari et ea, quae non sunt, frustra confingere vultis? Si enim, congregata ephesina synodo, sapiens Isidorus ea, quae apposuimus, scripserit, ex ipsis autem commentariis episcoporumque subscriptionibus appareat Eusebium tunc temporis *Pelusii* episcopum fuisse, iste commenti et mendacii vestri Isidorus profecto non erat episcopus.

Verum, ut antea dixi, ad apostolicum doctorem Athanasium ascendamus et si invenerimus eum dixisse Christum in duabus naturis subsistere ac intelligi, ea quoque, quae tanquam ex persona Dei amantissimi Isidori exhibentur, pro veris habeantur. Illo autem clarius quam tuba clamante: ATHANASIUS: «Non duas naturas *confitemur esse* unum Filium, unam adorandam et alteram non adorandam, sed unam naturam Dei Verbi incarnatam et una adoratione cum carne eius adoratam; neque duos Filios, unum quidem Filium Dei verum et adoratum, alterum autem illum ex Maria hominem et non adoratum, per gratiam Filium Dei factum sicut et multi homines *facti sunt,* sed illum ex Deo, ut dixi, unum Dei Filium et Deum eundem [1] », — quomodo tam apertam impietatem non effugitis? Ecce enim sine ulla exceptione Doctor decrevit non duas naturas *esse* unum Filium; non dixit: « non duas naturas separatas », ita ut egregius Grammaticus explicando dicat illum permittere duas naturas non separatas confiteri unum Christum post inexplicabilem unionem, * sed omnino reiecit dualitatem tanquam solventem id, quod ex unione absolutum est, *scilicet* unam esse naturam Dei Verbi incarnatam. Dualitatem enim destruit τὸ « unum ex duobus », quemadmodum etiam vicissim dualitas dividit τὸ « unum »; neque iam unus Filius est Christus, sed duo Filii. Nam insuper, postquam dixerat: « Non duas naturas *confitemur esse* unum Filium, unam adorandam et alteram non adorandam », quid hoc sit explicando atque declarando Doctor addidit: « neque duos Filios, unum quidem Filium Dei verum et adoratum, alterum autem illum ex Maria hominem non adoratum [1]. » Si enim unus non sit Filius immutabiliter incarnatus, adorandus quatenus verus Deus est, sed dualitate naturarum dividatur, profecto natura humana manet non adoranda: soli enim Deo, ut scriptum est, omne genu flectetur [2] *solumque Deum,* non autem unum seorsum ex hominibus adorabit.

[1] *P. Gr.*, XXVIII, 25.

* p. 257.

Quapropter strenuus Grammaticus reprehensionem exinde *exsurgentem* fugiens et in impietate *sua* erubescens, dicit: « Ego duas naturas, hoc est duas hypostases, non dico, sed duas *dico* substantias secundum communem significationem », et insciens in maioris impietatis derisum devolvitur. Si enim *accipiatur* illa secundum communem significationem substantia, quae multas hypostases comprehendit, — quemadmodum una divinitatis substantia comprehensive significat tres hypostases Patris et Filii et Spiritus sancti, rursusque una humanitatis substantia multas hypostases, id est omnium *hypostases,* comprehendit, — deprehenditur *Grammaticus* blasphemiam professus, dicendo sanctae Trinitatis substantiam *per unionem* ad universum humanitatis genus incarnatam esse: quod * vel dicere *tantum* inter absurda et impossibilia et blasphema iterum reperitur.

* p. 258.

Rursusque id effugiens, quod ad absurdum deducit, alias fallaces nugas adhibuit, dicens: « Quia Christus consubstantialis est Patri et consubstantialis nobis, ideo illum in duabus substantiis *esse* dico »; et nescit iste ter infelix aliud esse τὸ confiteri ex quibusnam Christus subsistat, atque aliud τὸ dicere

[1] *P. Gr.*, XXVIII, 25. — [2] Cfr ISAI., XLV, 23.

quibusnam sit ὁμογενής atque consubstantialis. Subsistit enim ex singulari Verbi hypostasi et ex una carne singulari et rationabiliter animata, quae ex Dei genetrice Virgine Maria *genita est,* et unus est etiam sic Filius ex ambabus, divinitate et humanitate, unaque hypostasis et natura Verbi incarnata; ὁμογενής autem, id est consubstantialis, est Patri quidem et Spiritui secundum quod Deus *est,* nobis autem quatenus homo factus est idem propter nos. Itaque aliud est τὸ confiteri ex quibusnam subsistat Christus, qui secundum naturam compositus est, aliud τὸ *dicere* quibusnam sit ὁμογενής atque consubstantialis. Ita enim et quilibet homo subsistit quidem ex una carne et ex una anima rationabili, cum sit una ex duobus natura, et una hypostasis atque natura [1]; ὁμογενής autem est, quatenus quidem rationabilis *est,* animabus rationabilibus et consubstantialibus ceterorum hominum, quatenus autem mortalis *est,* corporibus consubstantialibus ceterorum hominum. Itaque aliud est τὸ significare ea, ex quibus illa composita et una hypostasis substitit, et aliud est τὸ dicere quibusnam haec sint ὁμογενῆ et consubstantialia. * p. 259. Neque enim * ex nobis quisquam, nisi insaniat, dicet semetipsum in animabus et corporibus hominum sibi consubstantialium et ὁμογενῶν subsistere, sicut nec Christus ex Patre consubstantiali et hominibus consubstantialibus componitur atque est in una hypostasi.

At iste miser, existimans sibi auxilio futurum illud effatum apostolicum, in quo *Paulus* de Salvatore nostro dicit: « Quia in ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter [2]», amplius retinet hunc ipsum errorem. Porro illum fugit ipsam tantum Filii hypostasim plenitudinem divinitatis ab Apostolo vocatam esse, quia nihil ipsi deest eorum omnium, quae Deum habere decet: gloriam dico et aeternitatem et regnum et virtutem atque proprietates et singularitates substantiae, quae *est* super omnia. Hoc enim significans etiam Iohannes evangelista theologus dixit: « Vidimus gloriam eius, gloriam quasi Unigeniti ex Patre, qui plenus est gratiae et veritatis [3] ». Hoc et apostolicus doctor Athanasius, in oratione tertia libri adversus Arianos de sancta Trinitate, confirmat scribendo sic: Athanasius: « Non enim, ut

[1] Forsan addendum est: « composita ». — [2] *Coloss.*, II, 9. — [3] Ioh., I, 14.

illi opinantur, in se invicem immituntur *Pater et Filius,* quia dicitur: « Ego in Patre meo et Pater meus in me [1] », quasi in vasis vacuis, a se invicem impleti, ita ut Filius quidem Patris vacuitatem impleat, Pater autem Filii vacuitatem impleat neuterque illorum plenus et perfectus sit. Corporum enim id proprium est; ideoque vel hoc solummodo dicere, summae impietatis est. Plenus enim atque perfectus est Pater, et plenitudo divinitatis est Filius [2]. » Ideo etiam Gregorius theologus, sicut * in antea consideratis scripsimus [3], exemplo trium solum usus * p. 260. est ad demonstrandum perfecte se habere secundum semetipsam unamquamque ex hypostasibus, sed tamen secundum consubstantialitatis rationem *cum aliis* uniri, sicut trium quoque illorum solum lux non est diversa. Apostolus autem hanc ob causam Filium vocavit « splendorem Patris », non autem alium solem, ne quis putaret etiam Filium esse ingenitum, sed ut hac voce « splendor » referretur *Filius* ad Patrem, ad eum *scilicet* a quo processit et ab aeterno genitus est. Sic et Spiritum sanctum a Patre procedere scriptum est, ut et coaeternitas sanctae Trinitatis innotesceret, eamque in tres principatus non separari neque dividi *appareret.* Sapiens autem Cyrillus in iis, quae ad Reginas scripsit, haec dicit: Cyrillus: « ...pium est dicere; quia inhabitationem Verbi in propria carne, id est, veram unionem, nobis significans divus Paulus in ipso dicit inhabitare omnem plenitudinem divinitatis, non potius per participationem aut per habitudinem aut tanquam per donum gratiae, sed corporaliter, id est, substantialiter, quemadmodum et in homine habitare dicitur spiritus eius, cum alius ab eo non sit [4]. »

Itaque hac de re sermonem plene quidem in antea consideratis absolvimus, cum multiformes erroris Grammatici varietates redarguimus; necessario tamen nunc quoque mentionem eius fecimus propter absurdam pravam interpretationem [5] quam iste *Grammaticus* instituit contra apostolicas magni Athanasii voces, itemque quia mendax verborum definitor nobis fieri ausus est. Definivit enim atque dixit haec: Grammaticus: « Sic

[1] Ioh., XIV, 10. — [2] *P. Gr.*, XXVI, 324. — [3] Non in hac tertia oratione, ut videtur. — [4] *P. Gr.*, LXXVI, 1364. — [5] παρεξήγησις.

ergo etiam quando sanctus Cyrillus solummodo « naturam » dicit, quin addat « Dei * Verbi », communem divinitatis substantiam significat[1]. » ET ITERUM: « Itaque ubi Patres solummodo « naturam » ponunt, quin addant « Dei Verbi », substantiam tunc intelligunt[2]. »

* p. 261.

Itaque, o bone, iuxta istas tuas definitiones, si naturae, quae indeterminate nominantur, substantias significant; indeterminate autem dixit sanctus Athanasius: « Non duas naturas *confitemur esse* unum Filium, unam adorandam et alteram non adorandam[3] »: vetuit te dicere duas substantias hunc unum Filium *esse*. Non enim definivit dicens: « Non duas naturas, unam Dei Verbi et alteram carnis rationabiliter animatae ». Itaque propriis manibus evertisti refugii tui arcem, quam supra arenam haud inconcusse exstruxeras. Dic, sicut insipiens dives parabolae evangelicae: « Destruam horrea mea, et his maiora exstruam[4] », rursusque maioris amentiae copias conde. At propheta David tibi opportune praecinit te in vanis artificiis *tuis* comprehendendum esse: « Lacum aperuit et effodit eum, et incidit in foveam, quam fecit[5]. » Apparent enim ubique veritatis doctores hypostasim Dei Verbi « naturam » indeterminate nominantes, quin necessario prorsus[6] addant « Dei Verbi » naturam, ipsa sententia effatisque tum praecedentibus tum sequentibus *eam* manifesto ostendentibus de una Dei Verbi hypostasi nomen « natura » dici. Scripsit enim sanctus Iohannes Constantinopolitanus, in oratione tertia explanationis evangelii Iohannis, sic: IOHANNES CONSTANTINOPOLITANUS: « Etiam, ait; sed Petrus quodam loco dixit: « Quia Dominum et Christum eum fecit Deus[7] ». Cur * ergo id, quod sequitur, non adiecit *collocutor*: « hunc Iesum, quem vos crucifixistis »? An ignoras ex dictis alia quidem ad immortalem naturam, alia autem ad dispensationem pertinere[8]? »

* p. 262.

Simili modo et sapiens Cyrillus, in homilia centesima vicesima inter illas, quas de Lucae evangelio habuit, dixit sic: CYRILLUS: « Ait ergo: « Duo homines ascenderunt in templum ad orandum[9]. » Hic, quaeso, videas personarum acceptionis immu-

[1] Locum non repperi. — [2] Item. — [3] *P. Gr.*, XXVIII, 25. — [4] LUC., XII, 18. — [5] *Psalm.* VII, 16. — [6] πάντη τε καὶ πάντως. — [7] *Act.*, II, 36. — [8] *P. Gr.*, LIX, 41. — [9] LUC., XVIII, 10.

nitatem naturae[1], quae decipi non potest, et in omnibus aequabilitatem. Homines enim, ait, sunt qui oraturi sunt; non enim divitias magis aut dignitatem attendit, sed ex naturae identitate tanquam homines videt omnes, in nulloque inter se differentes, qui *sunt* super terram[2]. » RURSUSQUE, IN SCHOLIIS: « Intelligitur namque potius alterum in altero habitare, id est, divina natura in humanitate, non perpessa commixtionem aut confusionem aut commutationem in id, quod non erat[3]. » ET ITERUM, IN SEQUENTIBUS: « Si enim esset omnino quisquam qui dicere auderet hanc ex terra carnem nudae divinitatis factam esse matrem atque ex se genuisse naturam omni creatura superiorem, stultum hoc esset[4] et nihil aliud. Neque enim ex terra facta est divina natura, neque incorruptibilitatis radix fit id, quod corruptioni subiacet, neque omnium vitam gignit id, quod morti subicitur[5]. » Congruenter ad haec scripsit etiam Severianus, venerabilis episcopus sanctae gabalitanae ecclesiae, in homilia cui titulus: « De centurione et contra Manichaeos atque Apollinarii sodales »: SEVERIANI *verba*: « Intravit in naviculam, ut homo; neque solummodo intravit in naviculam, sed et dormivit in navicula natura illa, quae non * dormit. Dormivit in navicula is, qui aquas sedat. Dormivit in navicula is, de quo propheta dixit: Ecce non dormitabit neque dormiet, qui custodit Israel.[6] »

* p. 263.

Ecce omnes *Patres* manifesto in illis *sententiis*: « natura divina » et « quae decipi nequit », et « quae dormit », et « immortalis », indeterminate, quin adderent: « Dei Verbi », unam eius hypostasim significarunt, ipsa sententia hoc clamante itemque *clamantibus* et praecedentibus et sequentibus verbis. Ipsius autem divinae naturae somnum quoque esse dixerunt, quia carne anima menteque praedita, quae dormire potest, incarnata est. Neque diviserunt sicut Tomus Leonis dicentes dormire quidem hominis, supra mare vero ambulare Dei esse[7], neque rursus interrogantes quaenam natura dormierit in navi: quae enim humanitatis secundum naturam propria sunt, rursusque quae

[1] τὸ ἀπροσωπόληπτον τῆς φύσεως. — [2] Locum non repperi. — [3] *P. Gr.*, LXXV, 1397. — [4] εὔηθες τὸ πρᾶγμα. — [5] *P. Gr.*, LXXV, 1400 (latine tantum). — [6] *Psalm.* CXX, 4. Locum Severiani non repperi. — [7] Cfr *P. Lat.*, LIV, 769.

divinitatis secundum substantiam propria *sunt*, individua effecit dispensationis mysterium atque indivise omnia propria unius Dei inhumanati et unius naturae ipsius Verbi incarnatae.

Si autem oportet, ipsius Isidori, qui talibus calumniis impetitus est, — *nempe quod* pessimam quidem accusationem in sanctam et universalem synodum ephesinam protulisset, sancto autem Cyrillo furorem increpavisset, — locum ad hoc adducam, ita ut etiam in hoc reperiaris in tuis retibus apprehensus. Ipse quoque, cum ad Martinianum, Zosimum, Eustathium atque Maronem scriberet, sic scripsit: ISIDORUS: « Quod enim incredibile *erat, scilicet* quod divina natura ad res nostras descendisset, tantam dispensationem operata esset, talia miracula innovasset, passiones per passionem sanavisset et mortem per * mortem mortificasset, per ipsas res demonstrationem accepit [1]. » Praeterea, minime ignorandum est nonnullos dicere beatum Isidorum Origenis *peste* laboravisse ideoque in sanctum Theophilum et sectatores eius itemque in sapientem Cyrillum conviciosam passionique obnoxiam linguam acuisse; nam Theophilus impugnaverat eos, qui abominanda Origenis dogmata recipiebant et apostolicam fidem repudiabant. Ego vero ne uno quidem huiusmodi dogmate piae memoriae Isidorum implicatum inveni.

* p. 264.

CAPUT QUADRAGESIMUM.

Brevis confutatio circa locos, qui ex Procli, Iulii, Irenaei, ceterorumque doctorum *scriptis* proferuntur ab impiis, qui genuinas in illis *traditas* voces dilacerant atque adulterant; in qua etiam declaratio *datur* ostendens haud incongrue orthodoxos Doctores circa incarnationem Verbi exemplo constitutionis hominis nostri similis usos esse.

Quid igitur, o inerudite, circumiens frustra colligis aliena excerpta, et si usquam invenias sanctos Patres pluraliter « naturas » commemorantes, statim exsilis sicut concitata vagaque ista meretrix, de qua in Proverbiis sermo fit, perinde ac si non dicerent orthodoxi « ex duabus naturis » esse Christum atque secundum rationem et contemplationem apparere, quantum possibile est, ineffabile dispensationis mysterium exhibens duarum diversarum naturarum concursum, unum autem inconfuse ex illo *concursu* absolutum, ex duobus quidem in unionem * indivisibilem congregatis, sed in dualitatem rursus non solutum? At, ut dixi, si modo scriptum usquam invenias duorum quorumdam unionem vel mixtionem vel congregationem factam esse, illud abscindis et in medium profers; unum autem esse ex duobus absolutum, non iam duo et celas et retices.

[1] *P. Gr.*, LXXVIII, 612.

* p. 265.

Si ergo discere velis quomodo venerabilis Proclus, episcopus constantinopolitanus, praedicaverit in duabus naturis mixtionem atque unam ex ea hypostasim, *scilicet* Dei Verbi incarnatam et inhumanatam *hypostasim*, absolutam, audi eum ad Armenos scribentem sic: PROCLUS: « Dicimus igitur, utraque scripturistica voce utentes, *Verbum* et carnem factum esse et formam servi accepisse, et utraque pie intellecta salutis nobis est semen. Nam per illud quidem « factum est », summae unionis individuitatem evangelista ostendit: ut enim monas in duas monades non dividitur, — in illas enim divisa iam non monas esset, sed dyas, — sic quod secundum summam unionem est unum, non dividitur in duo. Porro, illud « accepit » naturae immutabilitatem clamat [1]. »

Itaque, orthodoxiae interpretibus tam manifesto docentibus per dualitatem dividi eum, qui secundum summam unionem *est* unus, confiteri oportet unum Christum unamque personam et unam hypostasim et unam naturam, Verbi scilicet, incarnatam; et quemadmodum qui Emmanuelem unam personam *esse* dicit, non dicit eundem *esse* duas personas unitas et individuas, ita neque qui dicit unam hypostasim et naturam Filii inhumanatam, eundem dicit post unionem duas *esse* hypostases atque naturas * individuas et unitas. Clare enim dixit Doctor *Proclus* monadem dualitate dissecari iamque monadem non esse.

* p. 266.

At, ut videtur, nullum confutationis verbum impios ab inani audacia cohibere potest, cum semel accesserunt ad impie agendum. Iisdem enim artificiis armantur adversus voces cuiusque ex deiferis Patribus, et ostendunt ex istis *vocibus* duo quidem videri posse ea, quae concurrerunt in unitatem divinae Verbi

[1] *P. Gr.*, LXV, 861.

inhumanationis, unum autem esse id, quod ex utroque absolutum est, celant. Hoc etiam circa voces divi Iulii, ecclesiae Romanorum pastoris, fecerunt; etenim e contexta oratione abscissum atque quasi silentio mutatum huiusmodi locum producunt, quem tu quoque, Grammatice, sic apposuisti, — reperitur autem *locus* in oratione de unione in Christo corporis ad divinitatem: Iulius: « Et qui non potest in iis, quae unita sunt, differentiam agnoscere, quid *scilicet* uniuscuiusque proprium sit, in opposita inter se non concordantia decidet; qui autem propria agnoscit, et unionem servat, neque circa naturas mentietur, neque ignorabit unionem [1]. »

Iam autem prima sectio seu sententia loci sic effertur in genuina scriptura: « Et qui non potest in diversis, quae unita sunt, agnoscere quid sit uniuscuiusque proprium »; ultima vero sententia in codicibus multis, — non enim in omnibus, — sic inveniri potest *enuntiata*: « neque circa naturam mentietur, neque ignorabit unionem [2] ». Et ipsis quidem impiis valde inerudite videtur mutatio singularis *vocis* « *natura* » in pluralem vocem « naturas » inane quoddam consilium perficere, forsan autem etiam * mutatio qua loco « uniuscuiusque » dicunt « uniuscuiusque eorum », perinde ac si posset haec *formula* maiorem separationis significationem praebere. Nos autem cum iis, qui tam inania loquuntur, ineruditos nos esse non sustinebimus. Demus enim ita in genuino textu haberi, ut ipsi dicunt. Itaque, quae sit unio naturarum, ex quibus Emmanuel *subsistit*, vel quis sit is, qui exinde absolutus est, deiferum Iulium interrogemus. Supra enim, in eadem rursus oratione, respondit, dicendo sic: Iulius: « Proclamatur autem in eo hoc quidem esse creatum in unione increati, illud autem increatum in coniunctione creati, una natura ex utraque parte subsistente, particularem operationem Verbo quoque adimplente in totum cum divina perfectione; quod in homine communi ex duabus partibus imperfectis fit, unam naturam perficientibus unoque nomine designatis, quia caro etiam totus vocatur, non ablata sic anima, totusque anima vocatur, non ablato sic corpore, quamvis aliud quid sit praeter animam [3]. »

* p. 267.

[1] Lietzmann, p. 192; cfr *P. Gr.*, LXXXVI, 1828. — [2] Lietzmann, *ibid.* — [3] Lietzmann, p. 187.

Hoc *igitur* est « circa naturas non mentiri, sed cognoscere unionem », *scilicet*, proclamare unam ex utraque parte subsistentem naturam Verbi incarnatam; rursusque hoc ipsum est « scire quid uniuscuiusque proprium sit », *scilicet* scire hoc quidem *esse* creatum, illud autem increatum atque cognoscere proprietatem, quae *est* in qualitate naturali, non vero dualitatis separationem inducere ut singillatim a se mutuo *naturae* constituantur: quae *dualitas* in singularem diversitatem *naturas* separat. Haec autem ipsis verbis nos etiam docet sapiens Cyrillus, ipseque sanctus Iulius praecipit; et, ut ita dicam, frenum imponit iis, * qui cum differentia introducunt etiam dualitatis sectionem. Nam postquam dixit: « Proclamatur autem in eo hoc quidem esse creatum », statim sectioni aditum praecludens adiunxit: « in unione increati »; rursusque, postquam dixit: « illud autem increatum », similiter subiunxit: « in coniunctione creati ». Quid autem sit differentiam agnoscere et ab unione non removere explicans, addidit unam naturam et hypostasim ex utraque parte subsistere. Optime autem hoc quoque addidit atque dixit: « particularem operationem Verbo quoque adimplente in totum cum divina perfectione ». Etenim Deus in omnibus perfectus, Verbum Dei et Patris, qui semetipso omnia implet, imo ipse omnia continet, cum propter misericordiam compositionem et unionem ad carnem rationabiliter animatam suscepit, partis vicem obtinuit, quin a propria perfectione deturbaretur, ut gloriose et supra omnem admirationem unam hypostasim et naturam ostenderet semetipsum et incarnatam et vere et immutabiliter exsistentem Emmanuelem. Neque ea, ex quibus est, confundit, neque dualitate post unionem dividitur; neque rursus propterea quod ineffabiliter compositus cum humanitate ex nobis assumpta « factus est ex muliere [1] », iuxta Pauli verbum, *ideo* ex Maria initium existentiae habuit [2], ut Samosatenus delirans garrivit [3]. Erat enim atque subsistebat, quatenus Deus erat, ante omnia saecula, et est coaeternus Patri et Spiritui semperque secundum substantiam prorsus perfectus, licet exemplum hominis nostri similis et compositio, quae in hoc *exemplo* apparet, a similitudine quoad hoc removeatur.

* p. 268.

[1] *Galat.*, IV, 4. — [2] τὴν ἀρχὴν τῆς ὑπάρξεως. — [3] Cfr *P. Gr.*, XXVI, 1136.

Ita enim exempla se habent, ut a perfecta similitudine abhorreant. Nam si quid tenet * similitudinem quoad omnia *cum alio*, idem potius est *ac illud*, non *illius* exemplum. Neque enim, quod ad hominis nostri similis compositionem attinet, reperiet quis rationabilem animam ante corpus subsistentem, aut vicissim corpus ante animam subsistens, sed simul, ut ita dicam, oriuntur atque illud, quod ex utroque *constituitur*, animal absolvunt. Hoc sapiens Gregorius, episcopus nyssenus, in opere de contemplatione constitutionis hominis, docet sic: GREGORIUS NYSSENUS: « Neque anima ante corpus, neque corpus absque anima vere dicitur esse, sed unum est utriusque principium, quod secundum rationem quidem sublimiorem in prima Dei voluntate fundatur, secundum alteram autem *rationem*, in ortus nostri causis consistit.[1] » Similiter etiam eximius Cyrillus, in oratione ad Diodorum, dicit: CYRILLUS: « Sed, o sapiens, inquam, anima et corpus concurrunt quidem ad invicem ad ortum hominis, neque unum ante alterum surrexit[2]; sed Deus Verbum, quamvis esset ante omnia saecula ut Deus, voluit novissimis temporibus carni anima rationabili praeditae uniri et nasci quidem homo, servare vero etiam sic gloriam suam: non enim repudiavit celsitudinem quam habebat super omnia, sed adoratur etiam sic, tanquam unus et solus Filius, a nobis ipsis et a sanctis angelis[3].» Quapropter in prima quoque oratione operis sui ad Theodorum mopsuestenum, nos hominis exemplo solummodo ad demonstrationem unionis hypostaticae uti, dixit sic: CYRILLUS: « Utimur autem exempli commoditate, ubique unionem absque sectione servantes, tuamque divisionem procul reicientes[4]. »

(* p. 269.)

* Ideo igitur divus etiam Iulius de communis hominis constitutione dicit eam ex imperfectis partibus compositionem esse, quia in ipso ortu et in transitu ad existentiam alterum absque altero non subsistit, sed simultaneus utriusque concursus unum animal compositum perficit, quamvis unumquodque ex illis, tum anima, tum corpus, perfectam rationem secundum propriam contemplationem habeat, et anima humana atque ratio-

(* p. 270.)

[1] *P. Gr.*, XLIV, 236. — [2] Hucusque locus reperitur in *P. Gr.*, LXXVI, 1452. — [3] Alteram loci partem graece non repperi. — [4] Locum non repperi; syriace illum, cum contexta oratione, videas apud PUSEY, t. III, p. 513.

nabilis, ut anima, perfecta sit, — neque enim ad plenitudinem sui « esse » anima corpus assumpsit, — et corpus, ut corpus, perfectum sit nullaque re careat ad hoc ut corpus sit et videatur id *esse*, quodcumque est. Sic etiam animas post separationem a corpore subsistere divina testatur Scriptura, Paulo quidem dicente de iis, qui recte conversati sunt, illos esse « ecclesiam primitivorum, qui conscripti sunt in caelis, et spiritus iustorum perfectorum[1] », Petro autem scribente de iis, qui in peccatis vixerunt, et de benigno descensu Christi ad inferos: « Et his, qui in carcere *erant*, spiritibus veniens praedicavit: qui increduli fuerant aliquando, cum exspectaverat Dei patientia in diebus Noe, cum fabricaretur arca[2]. »

Quamvis anima et corpus sic secundum naturam se habeant, *ut* partes ad se mutuo illa compositio exhibet: unum enim animal, *scilicet* hominem, ex utroque perficiunt atque absolvunt; neque differentiam, *quam* secundum substantiam inter se *habent*, confusione tollunt, cum neque anima in corpus mutata sit, neque corpus in animam conversum, sed totum animal a divina Scriptura * nominetur « caro », rursusque totum vocetur « anima », propter sublimitatem et individuitatem unionis. Itaque sic et adhuc sublimius, — multum enim res proposita exempli similitudinem transcendit, — perfectissimum Dei Verbum, cum dignatum est propter salutem nostram ad hanc exinanitionem et ad compositionem cum plasmatione nostra ex Dei genetrice Virgine Maria *formata* se demittere, atque simul naturalem et Deo dignam coniunctionem accipere, partis vicem obtinere reputatum est, et id quidem, cum ante saecula sit atque in divina perfectione permaneat, et eximie ex duobus perfectis, divinitate et humanitate, unus Christus effectus est, unus Dominus, una persona, una hypostasis atque natura Filii Dei absque conversione incarnata et inhumanata. Quapropter et cum « homo » ex parte nominatur, et cum « Deus » singillatim rursus vocatur, Verbum Patris saeculis antiquius incarnatum intelligitur propter unionis individuitatem. Saepissime etiam ex iis, quae secundum naturam carnis propria sunt, rursusque ex iis, quae secundum substantiam in ipsius Verbi natura

(* p. 271.)

[1] *Hebr.*, XII, 23. — [2] I PETR., III, 20.

constituuntur, totus ipse, id est Emmanuel, intelligitur atque nominatur, non autem unaquaeque ex naturis, sicut *dicunt* ii, qui unum Christum post unionem in dualitatem impie dividunt, proprietates suas secum commigrantes habet.

Sic nos docuit mystagogus sapiens Cyrillus, in tomo tertio adversus Nestorii blasphemias: CYRILLUS: « Facta sunt igitur ea, quae Verbi sunt, humanitatis propria; ea autem, quae humanitatis sunt, facta sunt Verbi propria. Sic namque unus intelligitur Christus et Filius et Dominus. [1] » Rursusque, in tomo quinto: « Proposita enim * et nobis in medium prolata Emmanuelis persona, si quis etiam « hominem » dicat, illud ex Deo Patre Verbum, quod formam servi assumpsit, intelligimus atque illud ex mensuris exinanitionis declarari dicimus; si vero etiam « Deum unigenitum » *quis dicat*, eundem credimus esse inhumanatum iam et incarnatum [2]. » Quod etiam sanctus Iulius in sententiis locum *adductum* praecedentibus et ab impiis abscissis clare clamat: IULIUS: « De toto dicitur datum esse illi nomen, quod est super omnia nomina [3] »; et: « Si quis audeat dationis vocem [4] et nomen, quod est super omnia nomina, separare, neutrum convenienter dicetur. Nam si Verbo datum sit tanquam non habenti: nunquam per gratiam datur nomen, quod est super omnia nomina; si vero non ex datione, sed natura illud habet, — sicut habet secundum divinitatem, — impossibile est illud ipsi dari. Ideo tanquam absoluta necessitate, et corporale de toto, et divinum de toto dicetur [5]. »

Ecce ista sunt pietatis dogmata eorum, qui in universo Occidente sanctas ecclesias rexerunt, antequam Tomus Leonis illas attingeret: *scilicet*, ex duobus unam confiteri hypostasim et naturam Verbi incarnatam, atque ad totum Emmanuelem, hoc est, ad Deum absque mutatione quacumque et sectione inhumanatum ea omnia referre, quae humanitatis et divinitatis propria sunt. Etsi enim unus ex duobus est, ipsius utpote qui est idem Deus et homo omnia indivisibiliter sunt propria, quamvis ex illis quaedam quidem humana, alia autem divina intelligantur. * Et hoc est « eorum propria scire » et « differentiam agnoscere », et

* p. 272. * p. 273.

[1] *P. Gr.*, LXXVI, 137. — [2] *Ibid.*, 224. — [3] Cfr *Philipp.*, II, 9. — [4] τὸ τῆς χάριτος ῥῆμα. — [5] LIETZMANN, p. 192.

« non mentiri circa naturas », ex quibus ineffabilis unio *facta est*, et « eas in dualitatem non disseeare », et « illum unum ex duobus ineffabiliter compactum non solvere », ita ut unaquaeque ex naturis sua propria semote iam *secum* trahat [1].

Quapropter magnae impiis curae fuit sanctorum Patrum voces abscindere, confingere, mutare, adulterare et haberi tanquam multos locos producentes: quae *tamen agendi ratio* ipsorum ignorantiam redarguit, ut investigatio *nostra* ostendit. Illis cum ipse quoque Grammaticus pastus esset ac ne ut asinus quidem nocivam et nutrientem herbam discernere potuisset, hunc validum nobis evomuit libellum, opinatus se ornari alienis, imo immundae avis pennis, nempe haereticorum figmentis et impudentibus segmentis atque additamentis. Sic Irenaei locum, consueta fictione ab illis adulteratum, invenit et in suo libello posuit. Fuit autem ille Irenaeus episcopus alicuius Occidentis civitatis, cui nomen Lugdunum *est*, apud gentem Celtarum quos multi, Romanos secuti, Gallos vocant; illius etiam Eusebius, in tomo quinto Historiae ecclesiasticae [2], mentionem facit, profitentis, in iis quae ad quemdam Florinum scripsit, se in iuventute sua auditorem fuisse Polycarpi, qui discipulus quidem Iohannis apostoli et evangelistae fuit, smyrnensis vero ecclesiae * episcopus. Irenaei autem scripta ad se transmissa memoravit Eusebius [3]; inter illa unum habetur, specialis mentionis dignum [4], quod ampla commentatio [5] est adversus haereses in quinque libris ab illo elaborata; in qua orationem protraxit ad illos omnes, qui tunc a sana et ecclesiastica et pura doctrina recesserant, praesertimque ad Dei negatorem [6] Valentinum et ad omnes surculos, quos secum protulit, Basilidem et Ptolemaeum et Carpocratem et Cerdonem et Marcionem et quosdam alios. Itaque patroni erroris Nestorii mutatum et adulteratum Irenaei locum, quemadmodum et Grammaticus, produxerunt atque sic inscripserunt: COMMENTUM HAERETICORUM: « Irenaei, episcopi lugdunensis, adversus Valentinum [7]. » Istud autem mala arte machinatus est, primo quidem ut censeretur locus

* p. 274.

[1] Resumit Severus omnes istas locutiones ex testimoniis allatis; in fine tamen Tomo Leonis alludit. — [2] *P. Gr.*, XX, 484. — [3] *Ibid.* — [4] ἀξιολογώτερος. — [5] πραγματεία. — [6] ἄθεος. — [7] Cfr *P. Gr.*, LXXXIX, 160 et VII, 1233, n. 40.

reperiri in famoso adversus haereses opere, quod « Detectio et eversio falso cognominatae agnitionis [1] » inscriptum est; deinde, ut fictionis detectio aut prorsus impossibilis aut difficilis fieret. Porro locus ab illis appositus se habet sic: IRENAEI *locus*, QUEM ADDUCUNT HAERETICI: « Nam quemadmodum arca inaurata erat auro puro intus et foris, ita etiam Christi corpus purum erat ac splendens, intus quidem Verbo ornatum, foris autem spiritu custoditum, — FICTIO HAERETICORUM, — ut ex utrisque naturarum splendor demonstraretur [2]. » Itaque hunc locum *haeretici* sic adducunt; nullo autem modo reperitur in iis, quae Irenaeus adversus Valentinum eiusque blasphemiam scripsit, sed in peculiari libello, qui titulum quidem gerit * huiusmodi: IRENAEI: « Ex libro primo Regum: quae de Helcana et Samuele », initium autem habet huiusmodi: « In praecedenti quidem libro beatae Ruth historiam texi [3] »; in quo *libello* neque tandem aliquando Valentinum, neque alium ex haereticis commemorat, neque se pugnavisse adversus mendacem agnitionem *dicit*, sed solummodo ea, quae historice de Samuele scripta sunt, — inter quae reperitur unctio, qua *Samuel* Davidem unxit, ut regnaret super Israel [4], — tanquam secundum contemplationem refert ad Dominum et Deum et Salvatorem nostrum Iesum Christum, ostendens per Scripturae adumbrationem veritatem apparere. Iam vero genuinus textus huius, qui corruptus est, loci hic est: ostendens *scilicet* septuaginta milibus armatorum atque puerorum [5], quibuscum perrexit David ad adducendam arcam Domini in civitatem suam, praefiguratas esse septuaginta linguas populorum, ex quibus novus Christi Salvatoris nostri populus congregatus est et implevit ecclesiam, spiritalem civitatem, in qua etiam is ipse, qui per arcam praefigurabatur, habitavit, sic dicit: IRENAEI *verba*: « Itaque cum septuaginta linguae numero demonstratae sint et a Davide in unam linguam congregatae, necesse est illis etiam arcam demonstrari, quae typus corporis Christi erat, puri et immaculati. Nam quemadmodum arca inaurata erat auro puro intus et foris, ita etiam Christi corpus purum fuit ac splendens, intus

* p. 275.

[1] Cfr *P. Gr.*, VII, 433. — [2] *P. Gr.*, LXXXIX, 160. — [3] Neque titulum, neque initium repperi. — [4] Cfr I *Reg.*, XVI, 13. — [5] Cfr II *Reg.*, VI, 1-2.

quidem Verbo ornatum, foris autem spiritu custoditum, ut ex utrisque splendor eius [1] demonstraretur [2]. »

Itaque, cum locus sic se haberet atque significaret ex * utrisque, *scilicet* ex typo et ex mysterio circa Christum [3], huius arcae splendorem demonstrari, strenui fictores atque falsatorum scriptorum auctores impietatis *illum* mutarunt et hanc aliam sententiam tradiderunt: HAERETICI: «Ut ex utrisque naturarum splendor demonstraretur [4] », putantes se ex plurali naturarum nomine, ut antea dixi, id quod sibi placet esse patraturos: quamine, ut antea dixi, id quod sibi placet esse patraturos: quapropter nonnulli etiam inter illos ipsam « ex utrisque » locutionem ex figmento abstulerunt scripseruntque, non quidem: HAERETICI: « Ut ex utrisque naturarum splendor demonstraretur », sed sic: « Ut ambarum naturarum [5] splendor demonstraretur », forsan quia timebant ne quis sic intelligeret: « ut ex ambabus naturis demonstraretur splendor mysterii », quod confirmaret ex utroque, divinitate et humanitate, unum indivisibiliter esse Christum.

* p. 276.

At strenuus Grammaticus, cum istos mendaces tum quoad titulos orationum, tum quoad introductiones et sententias secutus sit, simulatam scriptoris proprium opus condentis [6] personam induit; cumque debuisset libros scrutari et integros legere atque veritatem discere, id quidem nullo modo fecit, — nam iis, qui errori student et quibuscum rerum divinarum ignorantia crevit, quomodo curae esset de veritate aut de diligenti scientiae inquisitione? — ridicule autem Irenaei designationi, quasi civitatem, cuius episcopus erat, indicans annotavit [7]: GRAMMATICUS: « Gallorum, qui [8] in Occidente sunt, Lugdunum *civitas* est. » Maxime, dicam ad illum, nobis, o bone, profuisti. Rem nos docuisti omnibus prorsus ignotam. Grammaticum te esse ostendisti, habentem etiam promptum * historiae charisma: unde *ita* superbivisti ut divinorum etiam dogmatum te doctorem esse putares. At tibi, qui Iudaeum impie egisti, Deus ea

* p. 277.

[1] τὸ περιφανὲς αὐτῆς. — [2] *P. Gr.*, VII, 1233; attamen neque priorem loci partem, neque lectionem variam a Severo in fine notatam, graece repperi. — [3] τὸ κατὰ Χριστὸν μυστήριον. — [4] Cfr supra, p. 201, n. 7. — [5] ἵνα ἀμφοτέρων τῶν φύσεων. Hanc textus formam non repperi. — [6] αὐθήμερος, statim, id est, nihil ab aliis mutuando, scribens. — [7] παρεπέγραψε — [8] Vel: « Galliarum, quae ».

dicit, quae olim per Isaiam prophetam dicta sunt ad Iudaeos existimantes se compertum habere divinum mysterium prius per legem ordinatum, absconditumque Scripturae sensum, quem paulatim per visiones prophetarum manifestabat: « Ne dicas: « Etiam; cognosco illa »; neque novisti, neque intellexisti, neque ab initio aperuisti aures tuas. Novi enim quia praevaricans praevaricaberis, et iniquus ex utero vocaberis [1]. » Cur ergo inaniter te efferebas nobisque minabaris multitudinem collectorum locorum; quorum vim cum ignores, gloriaris alienis manipulis, quos secuit impietatis falx, quam blasphematores homunciones, praecessores tui, exacuerunt in agrum pietatis doctrinae Patrum, vi conantes ex discissis infantis partibus Christum constituere in duabus naturis et duabus personis subsistentem [2]: perinde ac si quis decorae hominis imaginis, quam fulgentibus et variis lapillis in pariete finxit, figuram dissolvat, et ex iisdem lapillis formam turpis cuiusdam et odiosi signi perite parare conetur, ut impudentissime asserat istam esse decori honestique viri illius imaginem, propterea quod ex dissolutis lapillis innovata est.

Illo autem exemplo adversus errorem Valentini, sacras Scripturas dissecantem atque dissolventem et impias fabulas indecenter componentem, Irenaeus usus est. Placet enim, quia calumnia et fictio adversus illum *prolatae* post ceteras * investigatae sunt, nunc ab illo columnam, quae calumniatores redarguat, opportune erigi atque inscriptione ornari. Ea autem, quae in columna inscribenda sunt, reperiuntur in libro primo detectionis et eversionis falso cognominatae agnitionis, sic se habentia: IRENAEI *verba*: « Sicut enim si quis, regis imagine ex pulchris lapillis a perito artifice diligenter fabricata, subiacentem hominis figuram solvens, illos lapillos transferat et aliter disponat, atque ex illis canis vel vulpis formam faciat, atque hanc male fabricatam postea confirmet hancque dicat esse pulchram regis imaginem, quam sapiens artifex fabricaverat, ostendens lapillos, qui bene quidem a primo artifice in regis imaginem compositi erant, male vero a posteriore in canis formam translati sunt, et per lapillorum phantasiam vestiget [3] inerusitos, qui regalis formae comprehensionem non habeant, illisque suadeat hanc turpem vulpis formam esse ipsam pulchram regis imaginem: eodem modo et hi, anicularum fabulas assuentes, postea sententias et dictiones et parabolas undecumque excerpentes, adaptare volunt fabulis suis eloquia Dei [1]. »

* p. 278.

[1] ISAI., XLVIII, 7-8. — [2] διφυὴς καὶ διπρόσωπος. — [3] Sic interpres intellexit vocem graecam μεθοδεύοι.

Non igitur cessabis, o Grammatice, circumvagare et locorum excerpta colligere atque impiam formam constituere et ridiculos huiusmodi libellos componere, nobis etiam iterantibus sermones nostros de iis ipsis, in quibus versaris, itemque *nobis* ostendentibus, per ea quae dicta sunt, iis, qui sensum habent, quomodo etiam adversus omnia illis similia mendacium sit redarguendum, error detegendus atque confutandus.

Liberatas nunc a vi *illis illata* patefaciemus ipsas * Patrum voces, quae sibi sufficiunt, nulloque vocis alterius auxilio egent, integris libris in medium prodeuntibus, pulchramque sententiarum congruentiam sermonisque dispositionem rectae doctrinae demonstrantibus; *ostendemus* etiam nullum inter eximios et apostolicos Patres, ut synodus chalcedonensis et Tomus Leonis *fecerunt,* reiecisse quidem confessionem unius ex duabus naturis Christi, definivisse autem illum in duabus naturis subsistere atque intelligi, et secundum oeconomicam personae unitatem et pessime inventam ex dignitate *orientem unitatem* duas naturas seu formas specie censendas unum esse Christum, cum utraque natura et forma agat quod proprium est, et una quidem coruscet miraculis, altera autem succumbat iniuriis [2], ita ut etiam interrogemus, quaenam natura clavis transfigeretur, cum pependit in crucis ligno [3].

* p. 279.

Ne ergo putes a te defensionem deberi pro una littera unaque nuda voce tantum, sicut ab arte grammatica *requiritur,* sed pro his similibusque impietatibus, quas Tomus Leonis patefecit. Cui cum adhaesissent ii, qui in Chalcedone congregati sunt, epistulas sapientis Cyrilli, quae ex duabus naturis unum Dominum et Deum Iesum Christum proclamandum esse significant, sine efficacia et sine voce iacentes dimiserunt, atque solummodo ad simplices decipiendos et irridendos laudarunt, et in duabus naturis esse et intelligi Christum definierunt,

[1] *P. Gr.*, VII, 521. — [2] Cfr *P. Lat.*, LIV, 767. — [3] *Ibid.*, 775.

Nestorium secuti: qui formulam « ex duabus naturis » reiecerunt, sed, eius loco, induxerunt *formulam* « in duabus naturis », sicut oratio nostra in antea consideratis fuse demonstravit.

* p. 280. * Ostendat ergo aliquis unum ex orthodoxis doctoribus, qui illam quidem vocem reiecerint, hanc autem pro illa induxerint, sicut synodus chalcedonensis fecit, iamque devincemur et tacebimus. At hoc ostendere nunquam poterit, vel si decem milia periodorum percurrerit. Omnes enim unum ex duobus Christum confitentur et unam personam unamque hypostasim et naturam Verbi incarnatam; ideo impassibile Verbum, Patris Filium saeculis antiquiorem, postquam incarnatus est carne ex nobis *assumpta,* anima menteque praedicta et passibili, passiones salvificas et omni peccato immunes passum esse docebant, confidentes etiam passionis impetum usque ad illum *tantum,* qui aptus est ad patiendum, assurgere, et Deum inhumanatum proclamari passum esse quatenus incarnatus est, et eum, qui carne passus creditur, secundum naturam Salvatorem proclamari, et ipsas passiones mortificavisse, ipsumque ut vitam secundum naturam et vivificatorem impassibilem permansisse, ad quem fieri non potest ut passio vel mors accedat. Quod ut confirmem, testimonia orthodoxorum aliquando sanctae Ecclesiae mystagogorum pauca ex permultis apponam.

CAPUT QUADRAGESIMUM PRIMUM.

Testimonia sanctorum Patrum qui a temporibus apostolicis rectum fidei verbum sane docuerunt, et Emmanuelem unum eundemque in miraculis et in passionibus servarunt, atque impiam dualitatis naturarum separationem post unionem reiecerunt.

Ignatii, episcopi antiocheni et martyris; ex epistula ad Romanos: « Concedite mihi imitatorem esse passionis Dei mei [1]. » Invenitur autem in aliis codicibus * antiquioribus sic: « Concedite mihi discipulum esse passionis Dei mei. [2] » * p. 281.

[1] *P. Gr.*, V, 693. — [2] In his codicibus legebatur μαθητήν non μιμητήν. Hanc textus formam non repperi.

Eiusdem; ex epistula ad Polycarpum: « Tempora perpende. Eum, qui ultra tempora *est,* exspecta, intemporalem, invisibilem, propter nos visibilem, impalpabilem, impatibilem, propter nos patibilem, qui omni modo propter nos sustinuit [1]. »

Eiusdem; ex epistula ad Ephesios: « Refocillati in sanguine Dei, opus fraternum perfecte absolvistis [2]. »

Eiusdem; ex epistula ad Magnesios: « Omnia peragere studeatis, episcopo sedente loco Dei et presbyteris loco senatus apostolorum concreditum habentium ministerium Iesu Christi, qui ante saecula apud Patrem erat et in fine apparuit [3]. »

Eiusdem; ex eadem epistula: « Divini namque prophetae iuxta Iesum Christum vixerunt. Ob hoc et persecutionem passi sunt, gratia ipsius inspirati, ut increduli certi redderentur, quod unus sit Deus, qui seipsum manifestaverit per Iesum Christum filium suum, qui est Verbum eius e silentio progressum, qui in omnibus ei, qui ipsum miserat, complacuit [4]. » Illud autem « e silentio progressum » significat eum ineffabiliter ex Patre natum esse et sicut nullum verbum vel *nullus* intellectus assequitur. Itaque silentio colatur oportet, non exploretur divina et incomprehensibilis eius generatio. Qui, cum hanc haberet celsitudinem, immutabiliter et vere pro nobis homo factus est et in omnibus complacuit Patri, pro nobis obsequium adimplens.

* Eiusdem; ex epistula ad Trallianos: « Cum enim episcopo subiecti sitis ut Iesu Christo, videmini mihi non secundum homines vivere, sed secundum Iesum Christum, qui propter nos mortuus est, ut credentes in mortem ipsius mortem effugiatis [5]. » * p. 282.

Eiusdem; ex eadem epistula: « Si vero, ut quidam athei, hoc est, infideles, aiunt, eum secundum apparentiam esse passum, ipsi autem secundum apparentiam exsistentes: ad quid ego vinctus sum? Cur autem cum bestiis pugnare etiam opto? Frustra igitur morior; ergo falsa de Domino loquor. Fugite ergo malas propagines, quae gignunt mortiferum fructum, quem si quis gustarit, statim moritur [6]. »

Eiusdem; ex epistula ad Smyrnaeos: « Glorifico Iesum

[1] *P. Gr.*, V, 721. — [2] *Ibid.*, 644. — [3] *Ibid.*, 668. — [4] *Ibid.*, 669. — [5] *Ibid.*, 676. — [6] *Ibid.*, 681.

Christum Deum, qui vos adeo sapientes reddidit: observavi enim perfectos vos esse in fide immobili, ut clavis affixos cruci Domini nostri Iesu Christi carne et spiritu et stabilitos in caritate per sanguinem Christi; et certum est vobis Dominum nostrum vere esse ex genere David secundum carnem, Dei autem Filium secundum voluntatem et potentiam Dei, vere ex virgine natum, a Iohanne baptizatum ut impleretur ab eo omnis iustitia; vere sub Pontio Pilato et Herode tetrarcha clavis confixum pro nobis in carne, ex cuius fructu nos sumus, e divine beata passione eius, ut elevet vexillum in saecula per resurrectionem pro sanctis et fidelibus suis, sive in Iudaeis sive in gentibus, in uno corpore ecclesiae suae. Omnia enim haec passus est propter nos, ut salutem consequeremur; et vere passus est vereque seipsum resuscitavit [1]. »

* p. 208. * POLYCARPI, EPISCOPI SMYRNENSIS ET MARTYRIS; EX EPISTULA AD PHILIPPENSES: « Similiter diaconi irreprehensibiles in conspectu iustitiae eius, Dei et Christi sunt diaconi, non hominis [2]. »

EIUSDEM; EX EADEM EPISTULA: « Deus autem et Pater Domini nostri Iesu Christi, et ipse sempiternus pontifex, Deus Iesus Christus, aedificet vos in fide et in veritate et in omni mansuetudine et in omni animi tranquillitate et patientia et longanimitate, et in constantia et in puritate [3]. »

CLEMENTIS, TERTII POST APOSTOLOS EPISCOPI ROMANI; EX SECUNDA EPISTULA AD CORINTHIOS: « Fratres mei, ita sentire nos oportet de Iesu Christo, tanquam de Deo, tanquam de iudice vivorum et mortuorum; nec decet nos humilia sentire de salute nostra. Si enim sentimus humilia de illo, parva etiam nos accepturos speramus, et quasi tenuia audientes, peccamus, nescientes unde vocati simus et a quo et in quem locum, et quanta sustinuerit Iesus Christus pati pro nobis [4]. »

IRENAEI, EPISCOPI LUGDUNENSIS, AUDITORIS POLYCARPI, EPISCOPI SMYRNENSIS; EX LIBRO PRIMO DETECTIONIS ET EVERSIONIS FALSO COGNOMINATAE AGNITIONIS: LOQUITUR AUTEM ADVERSUS IMPIAM APPARENTIAE SENTENTIAM A VALENTINO EIUSQUE DIS-

[1] *P. Gr.*, V, 708. — [2] *Ibid.*, 1009. — [3] *Ibid.*, 1015 (latine tantum). — [4] *P. Gr.*, I, 329.

CIPULIS FABULOSE PROPOSITAM ET ADVERSUS EAM, QUAE AB ILLIS DICITUR, OGDOADEM: « Caro autem est illa vetus de limo secundum Adam facta plasmatio a Deo, quam vere commemoravit Iohannes factam esse Dei Verbum. Et soluta est eorum prima et primogenita ogdoas. Cum enim unus et idem ostenditur Logos et Monogenes et Zoe et Phos et Soter et Christus et Filius Dei, et idem pro nobis incarnatus, soluta est ogdoadis compago [1]. »

EIUSDEM; EX * LIBRO SECUNDO: « Praestat ergo, ut diximus, cum tandem nemo ne unam quidem sciat causam cuiuslibet ex iis, quae facta sunt, credere in Deum et manere in eius dilectione, quam per huiusmodi scientiam inflatos excidere a dilectione, quae vivificat hominem; nec aliud quidquam scire velle nisi Iesum Christum Filium Dei pro nobis crucifixum, quam per hominum profunditatem et subtilitatem verborum [2] in atheismum cadere [3]. » * p. 284.

EIUSDEM; EX LIBRO TERTIO: « Matthaeus autem dixit Magos, qui ex Oriente venerant, dixisse: « Vidimus enim stellam eius in Oriente, et venimus adorare eum »; cum autem deducti fuissent a stella in domum Iacob ad Emmanuelem, per ea quae obtulerunt munera eos ostendisse quis esset, qui adorabatur: myrrham quidem *obtulerunt*, quia ipse erat, qui pro mortali humanitate moreretur et sepeliretur; aurum autem, quia rex est, cuius regni non est finis; thus vero, quia Deus est et factus est notus in Iudaea, et manifestatus est iis, qui non quaerebant eum [4]. » RURSUSQUE, POST ALIA: « decidentes a veritate, eo quod recesserit sententia eorum ab eo, qui est Deus, nescientesque quoniam Verbum Unigenitus, qui semper humanitati adest, unitus et complasmatus est plasmationi suae secundum placitum Patris et caro factus est: ipse est Iesus Christus Dominus noster, qui etiam pro nobis passus est et pro nobis surrexit et iterum venturus est in gloria Patris sui, ut resuscitet universam carnem et ad ostensionem salutis, et ut regulam iusti iudicii extendat super eos omnes, qui ab ipso facti sunt [5]. » ET PAULO POST: « Et ut ita dicam [6], dicit ad eos, qui volunt

[1] *P. Gr.*, VII, 544. — [2] τῶν ἀνθρώπων βαττολογία (interpres intellexerit quasi βαθολογία) καὶ λεπτολογία. — [3] *P. Gr.*, VII, 800 (latine tantum). — [4] *Ibid.*, 870 (item). — [5] *Ibid.*, 925 (item). — [6] Sic interpres noster vertere solet vocem graecam μονονουχί.

audire: Nolite errare: unus et idem est Iesus Christus, Filius *Dei, qui per passionem suam reconciliavit nos Deo, et surrexit a mortuis[1]; Verbum quod desuper a Patre omnium descendit et incarnatum est et usque ad mortem descendit et dispensationem salutis nostrae consummavit[2]. » RURSUSQUE, POST ALIA, ADVERSUS EOS, QUI DIVIDUNT NEQUE CONFITENTUR UNUM CHRISTUM: « Si autem ipse non erat passurus, sed avolaturus a Iesu, ad quid et paratos reddebat discipulos tollere crucem, et sequi se, quam ipse non tulit, iuxta sermonem illorum, sed dispensationem passionis reliquit[3]. » RURSUSQUE, POST ALIA: « Ostenso autem manifeste illud, quod in principio erat apud Deum et per quod omnia facta sunt, quodque semper hominum generi adest Verbum in novissimis temporibus, secundum tempus definitum a Patre, unitum esse plasmationi suae, per hoc quod passibilis homo factum sit, exclusa est omnis contradictio dicentium: Si ergo tunc natus est, non ergo antea erat Christus. Ostendinus enim non tunc esse coepisse Filium Dei, a principio cum Patre exsistentem, sed tunc incarnatum et hominem factum esse, cum longam humanitatis historiam recapitulavit et salutem promptam praestitit, ut quod perdideramus in Adamo, *id est,* secundum imaginem et similitudinem Dei esse, hoc in Christo Iesu reciperemus[4]. »

[* p. 285.]

RURSUSQUE, IN LIBRO QUARTO: « Non enim lingua tantum prophetabant prophetae, sed et visione et conversatione et actibus, quos consilio spiritus faciebant. Secundum talem autem rationem invisibilem Deum videbant, quemadmodum Isaias dixit: « Regem Dominum Sabaoth vidi oculis meis », significans, quoniam videbit oculis homo Deum et vocem eius audiet. Secundum talem autem rationem et Filium *Dei hominem videbant, et quod futurum erat prophetabant, et eum, qui nondum aderat, adesse dicebant, et impassibilem passibilem praedicabant, et eum, qui in caelis *erat,* in pulverem mortis deductum esse[5] dicebant[6]. » ET POST ALIA: « Ubi autem peregrina catechesis et nova doctrina: dii gentium non solum non sunt dii, sed idola daemoniorum; unus autem est Deus, qui super

[* p. 286.]

[1] *P. Gr.,* VII, 929 (latine tantum). — [2] *Ibid.,* 932 (item). — [3] *Ibid.,* 935 (item). — [4] *Ibid.,* 932 (item). — [5] Cfr *Psalm.* XXI, 16. — [6] *P. Gr.,* VII, 1037 (latine tantum).

omnem principatum et potestatem et dominationem et omne nomen quod nominatur, cuius Verbum, quod secundum naturam est invisibile, cum contrectabile et visibile in hominibus factum est, descendit usque ad mortem, mortem autem crucis[1]. » ET POST ALIA: « Qui autem rursus dicentes: « Homo est, et quis cognoscet eum? », et: « Accessi ad prophetissam, et peperit filium », et: « Vocatur nomen eius consiliarius admirabilis, Deus fortis » et ex Virgine Emmanuelem praedicantes, unionem Verbi Dei ad plasmationem ipsius significabant, quoniam Verbum caro fiet, et Filius Dei filius hominis; purus pure puram vulvam aperuit, quae regeneravit homines in Deum, quam ipse puram fecit, idque cum factus est id, quod et nos sumus; Deus fortis est et generationem habet, quam nemo enarrabit[2]. »

RURSUSQUE, IN LIBRO QUINTO: « Quoniam autem ipsum Dei Verbum incarnatum suspensum est, per multa ostendimus[3]. »

SANCTAE SYNODI, QUAE PAULI SAMOSATENI DEPOSITIONEM FECIT; EX EPISTULA ENCYCLICA: QUOD NON SICUT IN PROPHETIS OPERATUM EST *in Christo* VERBUM *ET SAPIENTIA DEI, SED SUBSTANTIALITER UNITUM EST CARNI RATIONABILITER ANIMATAE: « Hoc autem non probant universales et ecclesiastici canones sed illi quidem participaverunt sapientiam foris operantem et *quae* alia est ac ipsi; illa autem Sapientia ipsa per seipsam substantialiter in corpus ex Mariam *sumptum* venit[4]. » ET POST ALIA: « Si autem Filius Dei est Iesus Christus, Filius vero et Sapientia, et aliud quidem Sapientia, aliud autem Christus: duo exsistunt filii[5]. Oportet autem considerare nonne, his verbis per hypocrisim consentiens, forsan decipere velit[6]. »

[* p. 287.]

ET POST ALIA, IN QUIBUS OSTENDITUR HANC IPSAM SANCTAM SYNODUM CREDIDISSE EMMANUELEM ESSE EX DUABUS NATURIS, EX DIVINITATE VERBI ET EX CORPORE, QUOD EX DEI GENETRICE VIRGINE *sumptum est,* RATIONABILITER ANIMATO, UNUM EUNDEMQUE DEUM ET HOMINEM; OSTENDITUR AUTEM INSUPER IIS, QUI A PAULO SAMOSATENO ET USQUE HODIE ANTHROPOLATRIA LABORAVERUNT, ADVERSARI TÒ EX DUABUS NATURIS UNUM CHRISTUM CON-

[1] *P. Gr.,* VII, 1050 (item). — [2] *Ibid.,* 1080 (item). — [3] *Ibid.,* 1172 (item). — [4] *P. Gr.,* LXXXVI, 1393. — [5] *Ibid.* — [6] Alteram loci partem graece non repperi.

FITERI: « Verbum igitur is est, cuius egressus a diebus aeternitatis; is, qui ex Bethlehem prophetice dicebatur exiturus. Ad haec, oppositum dicit doctor haeresium, rursusque *dicit* Iesum Christum quidem ex Maria, Verbum autem ex Deo natum esse. Et ecce scriptum est, ut et hic uno effato testificante utamur, patrem Iesu Christi Deum esse: per hoc enim quod Verbi pater est, totius etiam Iesu Christi, qui ex Verbo et ex corpore ex Maria *sumpto* constitutus est, pater factus est[1]. » ET PAULO POST: « Nunc autem significare nos oportet quod separet tanquam duo Verbum et Iesum Christum illum, quem innuit et fatigatum esse et dormivisse et esurivisse, licet potius dicat quod totus ista tulit, nam prius posuit ipsum Verbum in toto homine factum[2]. » ET POST ALIA: « Testimonium accepit a Iohanne * quoniam post illum venit ut homo, ante illum autem est ut Deus. Fatigatus est, esurivit, sitivit, dormivit, crucifixus est ex infirmitate nostra, primo quidem ut homo propter corpus, secunda autem ratione Deus patiens propter unionem in corpore humano, quod assumpsit, quod suscepit passionem[3]. »

* p. 288.

CYPRIANI, EPISCOPI ET MARTYRIS, QUI CAPUT ERAT OMNIUM QUAE IN AFRICA, SANCTARUM ECCLESIARUM; EX ORATIONE DE ELEEMOSYNA: « Multa et magna sunt, o dilecti fratres, beneficia divina, ex quibus salutem nostram Dei Patris et Christi larga et copiosa clementia operata est semperque operatur. Quapropter nos et servare et vivificare voluit Pater; Filium suum misit, qui nos renovaret, missusque Filius voluit filius hominis fieri, ut nos filios Dei efficeret. Humiliavit ergo seipsum ut reiectum populum recuperaret; vulneratus est ut vulnera nostra sanaret; servivit ut ex servitute ad libertatem sibi subiectos adduceret; mortem tulit ut immortalitatem mortalibus daret[4]. »

GREGORII MAGNI, THAUMATURGI, EPISCOPI NEOCAESARIENSIS; EX ORATIONE DE INCARNATIONE ET FIDE: « Quomodo autem dicet quis putative apparuisse mundo Christum, qui in Bethlehem natus est, et circumcisioni carnis admotus est, et a Simeone portatus, et per duodecim annos educatus, et parentibus sub-

[1] Locum non repperi. — [2] Item. — [3] Item. — [4] Graece apud MANSI, t. IV, c. 1189.

missus, et in Iordane baptizatus, et cruci affixus, et a mortuis surrexit? Propterea, etiamsi dicatur: turbatus est spiritu, tristatus est anima, vulneratus est corpore, appellationes passionum * constitutionis nostrae confirmat, etiam ut ostendat se hominem in mundo natum esse et cum hominibus similiter absque peccato conversatum et in inferno visum iisque, qui ibi erant, manifestatum similiter absque peccato. Natus enim est in Bethlehem secundum carnem Deo convenienter et caelestes angeli agnoverunt auctorem suum, laudantes eum, qui in praesepi fasciis involutus erat atque dicentes: Gloria in excelsis Deo, et in terra pax[1]. »

* p. 289.

EIUSDEM; EX FIDE SECUNDUM PARTEM[2]: « Et est verus Deus, carnis expers in carne manifestatus, perfectus vera et divina perfectione; non duae personae, neque duae naturae: nec enim quatuor adorandos dicimus, Patrem et Dei Filium et hominem et sanctum Spiritum. Idcirco eos anathematizamus, qui sic impii sunt, hominem in divina doxologia ponentes. Nos enim dicimus Verbum Dei hominem factum esse propter nostram salutem, ut similitudinem caelestis capiamus et deificemur ad similitudinem vere secundum naturam Filii Dei, secundum carnem vero hominis, Domini nostri Iesu Christi[3]. »

FELICIS, EPISCOPI ROMANI ET MARTYRIS; EX EPISTULA AD MAXIMUM EPISCOPUM ET CLERUM ALEXANDRINUM: « De Verbi autem incarnatione et fide, credimus in Dominum nostrum Iesum Christum ex Maria Virgine natum, quod ipse est sempiternus Filius et Verbum Dei, non autem homo a Deo assumptus, ut alius sit ab illo. Non enim hominem assumpsit Dei Filius, ut sit alius ab ipso, sed cum perfectus Deus esset, factus est * simul et perfectus homo, ex Virgine incarnatus[4]. »

* p. 290.

PETRI, EPISCOPI ALEXANDRINI ET MARTYRIS; EX LIBRO DE DEITATE: « Quoniam revera gratia et veritas per Iesum Christum facta est, ideo et gratia sumus salvati, iuxta apostolicum dictum: « Et hoc, dicit, non ex nobis, sed Dei donum est; non ex operibus, ne quis glorietur. » Per voluntatem Dei Verbum caro factum et habitu inventum ut homo, non recessit a divi-

[1] *P. Gr.*, X, 1133. — [2] ἡ κατὰ μέρος πίστις. — [3] *P. Gr.*, X, 1117. — [4] *P. Gr.*, LXXVI, 344.

nitate. Neque enim ut prorsus a sua virtute vel gloria recederet pauper factus, cum esset dives, hoc factus est, sed ut et mortem pro nobis peccatoribus sustineret, iustus pro iniustis, ut nos offerret Deo, mortuus quidem carne, vivificatus autem spiritu[1]. »

ATHANASII, EPISCOPI ALEXANDRINI ET CONFESSORIS; EX ORATIONE DE ADINVENTIONE IDOLORUM ET ABOLITIONE EORUM: « Merito enim diceret quis ad eos: adhuc humano modo concipienda est res, non autem potius confitendum Deum et Salvatorem omnium eum esse, qui in crucem ascendit? Mihi autem videtur illis accidere idem ac si quis solem quidem nubibus absconditum calumnietur, admiretur autem eius lucem, videns totum mundum ex eo splendentem. Ut enim pulchra lux, pulchriorque sol, lucis principium: ita cum res divina sit, quod universa terra cognitione eius repleta sit, necesse est principium et initium tanti operis Deum Deique Verbum esse[2]. »

EIUSDEM; EX ORATIONE DE CORPORALI MANIFESTATIONE, ID EST, INHUMANATIONE DOMINI, QUAM ADIUNXIT ORATIONI CATECHETICAE DE ADINVENTIONE ET ABOLITIONE IDOLORUM: « Quomodo autem hoc factum sit, aut * quomodo tandem in vita et in Verbo immortali mors pro nobis omnibus perfecta sit, hominibus quidem difficile captu; cum autem Deus sanctis *id* revelaverit, ab his discere licet. Nam Iohannes quidem dixit: « Verbum caro factum est »; Paulus autem scripsit: « Nam quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem: misit Deus Filium suum in similitudine carnis peccati et de peccato et damnavit peccatum[3]. » EIUSDEM; EX EADEM ORATIONE: « Ideo ergo, non alius nisi Dei Verbum pro nobis factus est homo: homo autem, non qualis sumus nos omnes, mortales, ne permaneret mors, sed Verbo corporaliter operante, ut destrueretur mors. Et videas nonne hoc quoque de omnibus iustam causam habeat. Eos[4] enim, qui mortui erant, vivificare cuiusnam erat, nisi eius, qui dixit: « Ego sum vita »? Eos, qui senuerant et marcuerant,

[1] *P. Gr.*, XVIII, 509. — [2] *P. Gr.*, XXV, 5. — [3] Locum non repperi in editionibus huius operis, quod dici solet *De incarnatione Verbi* (*P. Gr.*, XXV, 96 et ss.). — [4] Interpretem syrum sequor; ceterum, dubium non est quin participia graeca vertenda sint: « Nos, qui... ».

recreare cuiusnam erat, nisi eius per quem ab initio ex nihilo ad exsistentiam venimus? Eos, qui ad imaginem *Dei* facti fuerant et negligentia foedati, cuiusnam erat mundare et pulchros reddere, nisi imaginis Dei, ad quam etiam ab initio Deus nos fecerat, dicens: « Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram »? Sententia adversus nos pronuntiata: « Pulvis es, et in pulverem reverteris », per quemnam oportebat solveretur, nisi per Verbum, per quod ab initio dicta et pronuntiata fuerat? E terra cum essemus, per quemnam fieri poterat ut deificaremur, nisi per illum qui natura est Deus verus ex Deo vero? Cum creaturae essemus et ex nihilo facti, per quemnam fieri poterat ut filii efficeremur, nisi * per eum, qui vere et secundum naturam Filius Dei est? Aberrantes nos ab eo, propter quod facti eramus, cuiusnam erat reficere et renovare, nisi Sapientiae creatricis[1], per quam fecit et omnia Deus. Egressos nos e paradiso, cuiusnam erat reducere in illum, nisi Verbi quo *iubente* exieramus? Quo enim clausus fuerat, eo etiam apertus est, dicente ad latronem: « Hodie mecum eris in paradiso ». Ad caelestes portas quis nos duxit et in eas ingredi nobis permisit, nisi rex gloriae, Dei Filius? Videntes enim illum venientem de Edom et in suo corpore nos evehentem, principes portarum illas elevarunt et aperuerunt, unde et Paulus in paradisum ivit et usque ad tertium caelum raptus est. Diabolum totamque eius diabolicam turbam quis devicit et destruxit, nisi qui illis ignem aeternum et tenebras exteriores paravit? A quonam portae inferni, cum viderunt illum, metuerunt, nisi ab eo, qui infernum ipso dignis paravit[2]? »

EIUSDEM; EX EADEM ORATIONE: « Si autem daemonibus erant addicti: videntes illos a Christo pulsos, agnoscebant illum solum esse Dei Verbum, daemonesque non esse deos[3]. Si autem aquas quoque nonnulli adorabant: videntes illas ipsi cum tremore subditas, et Dominum super illas pedibus suis ambulantem, desinebant ab adoratione illarum et illum Filium Dei esse, per quem omnia facta sunt, agnoscebant[4]. Sin porro circa mortuos mens eorum praeoccupata fuerat, ita ut heroes co-

[1] γενεσιουργός. — [2] Locum non repperi. — [3] *P. Gr.*, XXV, 124. — [4] Hanc textus partem non repperi.

lerent et eos, qui a poetis vocantur dii: attamen, videntes Salvatoris nostri resurrectionem, confitebantur illos quidem * esse mendaces atque mortales, solum autem Dominum *esse* verum Patris Filium, qui potestatem habet in mortem [1], neque solummodo in eam insurrexit, sed etiam laqueos eius dirupit a ceteris et omnes mortuos suscitabit [2]. »

*p. 293.

Et post alia: « Et olim quidem etiam eos, qui a poetis dicuntur, deos: Iovem et Saturnum et Apollinem, deos esse censebant homines et decepti adorabant; nunc autem, Salvatore nostro inter homines manifestato, isti quidem agniti sunt homines mortales, solus autem Christus agnitus est Deus, Verbum Deus veri Dei [3]. » Rursusque, post alia: « Quonam homine moriente sol quidem obscuratus est, terra autem tremuit; sepulchra quidem aperta sunt, mortui autem surrexerunt? En ad hoc usque tempus homines moriuntur itemque ab initio mortui sunt. Quandonam tale prodigium circa illos evenit [4]? »

Eiusdem; ex oratione secunda libri contra Arianos de sancta Trinitate: « Nec enim iam amplius, ut superioribus temporibus, per imaginem et umbram sapientiae, quae in creaturis reperitur, Deus cognosci voluit, sed effecit ut ipsa vera Sapientia carnem assumeret et homo fieret et mortem crucis sustineret, ut per eam, quae nunc est, fidem omnes deinceps credentes possent salvari [5]. »

Eiusdem; ex vicesima septima epistula heortastica, cuius initium est: Rursus tempus est diei Paschatis viventis: « Quae enim est exsultatio nostra et gloriatio nostra, nisi Dominus et Salvator noster Iesus Christus, qui pro nobis passus est et per se nobis Patrem ostendit? Non enim alius nisi ipse is est, qui olim per prophetas locutus est, et nunc omnibus dicit: « Ego ipse qui loquor; adsum ». * Optime se habet verbum: neque enim modo loquitur, modo tacet, sed perpetuo et omni tempore ab initio sine intermissione omnes erudit et omnibus in corde loquitur [6]. »

*p. 294.

Rursusque; ex epistula vicesima nona, cuius initium est:

[1] *P. Gr.*, XXV, 124. — [2] Hanc textus partem non repperi. — [3] *P. Gr.*, XXV, 180. — [4] *Ibid.*, 184. — [5] *P. Gr.*, XXVI, 320. — [6] *P. Gr.*, XXVI, 1433 (latine tantum).

Sufficiebant quidem de praesenti tempore ea, quae antea scripta sunt a nobis: « Et discipulos quidem tentabat Dominus super cervical dormiens, quando istud etiam prodigium factum est, quod aptius est ad ipsos quoque impios confundendos. Nam cum exsurgens increpavit mare et tempestatem sedavit, bene ostendit utrumque, *nimirum* maris quidem tempestatem a ventis non fuisse, sed a Domini sui terrore super ipsum mare ambulantis, Dominum autem *mare* increpantem non creaturam, sed eius potius creatorem esse: creaturae enim creatura non obtemperaret. Nam etsi mare rubrum ante Moysen divisum est, non tamen ipse Moyses *hoc* patravit: neque enim quia ipse dixit, factum est, sed quia Deus praecepit. Si vero sol etiam in Gabaon stetit et luna in valle Aialon, istud tamen opus erat non filii Nun, sed Domini, qui precem illius audierat: ipse autem est, qui et mare increpuit et ut sol obscuraretur in cruce effecit [1]. »

Rursusque; ex epistula quadragesima quarta, cuius initium est: Omnia quidem, quae Dominus et Salvator noster Iesus Christus pro nobis et propter nos fecit: « Cum ergo pontificum ministri et scribae haec vidissent, et a Iesu audirent: « Qui sitit, veniat ad me et bibat », agnoverunt illum non esse ipsis parem simplicem hominem, sed ipsum illum esse, qui etiam sanctis aquam dedit. Et ipse est, qui ab Isaia propheta indicabatur. Ipse enim vere est * quasi splendor lucis et Verbum Dei, sicque fluvius ex fonte, qui et tunc irrigabat paradisum et nunc idem omnibus largitur donum Spiritus, dicitque: « Si quis sitit, veniat ad me et bibat. Qui credit in me, ut Scriptura dixit, flumina aquae vivae de ventre eius fluent. » Hoc autem dicere, non hominis erat, sed Dei viventis vere vitam donantis et Spiritum sanctum dantis [2]. »

*p. 295.

Eiusdem; ex oratione de incarnatione Dei Verbi: « Confitemur Filium Dei, saeculis antiquiorum, ab aeterno ex Patre genitum, in fine temporum propter nostram salutem ex Maria genitum esse secundum carnem, sicut divus Apostolus docet, dicens: « Cum autem venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum, factum ex muliere», eundem exsistentem Dei Filium

[1] *P. Gr.*, XXVI, 1435 (latine tantum). — [2] *P. Gr.*, XXVI, 1441 (item).

et Deum secundum spiritum, hominis autem filium secundum carnem: non duas naturas unum Filium, adorandam unam et alteram non adorandam, sed unam naturam Dei Verbi incarnatam et una adoratione cum carne eius adoratam; neque duos Filios, unum quidem Dei Filium verum et adorandum, alterum autem ex Maria hominem non adorandum, per gratiam Dei Filium factum, sicut et homines, sed illum ex Deo, ut dixi, unum Dei Filium et Deum, ipsum, non autem alium, etiam ex Maria natum esse secundum carnem et in fine dierum, sicut Dei genetrici Mariae ad angelum dicenti: « Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? », dixit *Angelus*: « Spiritus sanctus veniet super te et virtus Altissimi obumbrabit tibi; ideo et quod nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei[1]. »

Eiusdem; ex epistula ad Epictetum: « Quomodo autem * p. 296. * vel ambigere ausi sunt ii, qui christiani dicuntur, sitne Dominus, qui ex Maria natus est, substantia quidem atque natura Dei Filius, secundum carnem vero ex semine David, ex carne autem sanctae Mariae? Quinam autem tam impudentes facti sunt ut Christum, qui carne passus et crucifixus est, negent esse Dominum et Salvatorem et Deum et Filium Dei[2]? »

Eiusdem; ex epistula ad Adelphium: « Et ii, qui Verbum a carne dividunt, nullam a peccato redemptionem mortisque solutionem factam esse autumant[3]. »

Eiusdem; ex epistula ad Maximum philosophum: « Si vero quasi simulent se esse christianos, discant crucifixum Christum Dominum quidem gloriae, Dei autem virtutem et Dei sapientiam esse. Quodsi dubitent utrum et Deus sit, Thomam revereantur, qui crucifixum palpavit, eumque Dominum et Deum esse dicit[4]. » Et paulo post: « Itaque non hominis cuiusdam corpus participamus, sed ipsius Verbi corpus accipientes, deiferi efficimur[5]. » Rursusque, post pauca: « Sic, etiam ipso homine facto, « vidimus, ut scriptum est, gloriam eius, gloriam quasi Unigeniti a Patre, pleni gratiae et veritatis ». Quae enim per corpus toleravit, ipsa ut Deus magna reddidit; et esuriebat quidem carne, divinitus autem esurientes satiabat.

[1] *P. Gr.*, XXVIII, 25. — [2] *P. Gr.*, XXVI, 1053. — [3] *Ibid.*, 1077. — [4] *P. Gr.*, XXVI, 1088. — [5] *Ibid.*

Et si quis propter corporea scandalizetur, credat propter ea, quae ut Deus operabatur[1]. »

Eiusdem; ex oratione de cruce: « Fortassis aliquis, haec audiendo, erubescit; fortassis aliquis, videndo Dominum illusum et abductum et caesum, pudore afficitur; fortassis aliquis, * videndo Dominum et Salvatorem et Regem omnium a Pon- * p. 297. tio Pilato iudicatum et a Iudaeis crucifixum, convincitur[2] et oculos demittit: nam neque sol tulit hoc spectaculum inspicere, sed totus obscuratus est, ut aliorum etiam oculos averteret; nec ultra curavit praeceptum illuminandi homines, sed praeceptum iam ausus est transgredi, quia videbat suum Dominum, qui ipsi praeceptum dederat, ab hominibus patientem. Sed si causam didicerimus atque cur passus sit viderimus, iam non erubescimus, sed miramur eius bonitatem et clementiam; gloriabimur autem etiam nos, sicut Paulus, in cruce, quia Dominus non propter seipsum, sed propter nosmetipsos patiebatur[3]. »

Iulii, episcopi romani; ex epistula ad Prosdocium: « Praedicatur autem, ad plenitudinem fidei, Filius Dei incarnatus ex Maria Virgine et in hominibus commoratus[4], non in homine operatus, — hoc enim circa prophetas fit et apostolos, — perfectus Deus in carne et perfectus homo in spiritu, non duo filii, unus quidem verus filius, qui hominem assumpserit, alter autem homo mortalis a Deo assumptus, sed unus unigenitus in caelo, unigenitus super terram[5]. »

Eiusdem; ex eadem epistula: « Nam vocati sumus in communionem Filii Dei, qui communicavit nobis etiam in morte et in cruce, cuius homo reus erat, cum ipse Dominus gloriae esset, non comprehensus a morte, sicut *comprehenditur* homo, sed destruens mortem et illuminans vitam et incorruptionem, propriamque nobis largiens victoriam. Itaque anathema sit quicunque illum ex Maria hominem non confitetur esse Deum incarnatum, consubstantialem Patri, ab initio Deum exsisten-

[1] *P. Gr.*, XXVI, 1088. — [2] Graece legitur: δυσωπεῖται. Interpres hanc vocem non recte intellexerit, aut legerit πείθεται; forsan supplenda est negatio, quae in codice syriaco omissa fuerit: « non convincitur ». — [3] *P. Gr.*, XXVIII, 204. — [4] σκηνώσας. — [5] Lietzmann, p. 284.

* p. 298. tem, * immutabilem in incarnatione, impassibilem in passionibus[1]. »

EIUSDEM; EX ORATIONE AD EOS, QUI DIVINAM INCARNATIONEM IMPUGNANT PRAETEXTU τοῦ CONSUBSTANTIALIS: « Et Virgo, cum ab initio carnem gigneret, Verbum gignebat et erat Dei genetrix; et Iudaei, qui corpus crucifixerunt, Deum crucifixerunt; nullaque separatio Verbi et carnis eius habetur in divinis Scripturis; sed est una natura, una hypostasis, una efficientia, una persona, totus Deus, totus homo idem. Nam substantia eius secundum id, quod invisibile *est*, divinitas, secundum id autem, quod visibile *est*, caro *est*. Igitur neque aliena, neque divisa est a divina Trinitate incarnatio Domini nostri Iesu Christi[2]. »

EIUSDEM; EX *oratione* DE UNIONE IN CHRISTO CORPORIS AD DIVINITATEM VERBI: « Proclamatur autem in eo hoc quidem esse creatum in unione increati, illud autem increatum in coniunctione creati, una natura ex utraque parte subsistente[3]. »

BASILII, EPISCOPI CAESAREAE CAPPADOCIAE; EX ORATIONE DE IRA: « Quomodo ergo non movebitur ipsa passio ad ea quae non oportet? Quomodo? Si prius mentis demissionem edoctus fueris, quam Dominus praecepit et operibus ostendit modo quidem dicens: « Qui vult inter vos primus esse, fiat omnium vestrum novissimus », modo autem tranquille et quiete illum, qui ipsum percutiebat, tolerans. Ipse enim conditor et Dominus caeli et terrae, qui ab omni creatura spirituali adoratur, qui « portat omnia verbo virtutis suae », non illum *percussorem* * vivum misit in inferos, terra illum devorante, sed commonefacit et docet: « Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo; si autem bene, quid me caedis[4]? »

* p. 299.

EIUSDEM; EX ORATIONE DE FIDE: « Ex ipsa igitur Filii appellatione discimus eum naturae esse consortem, non iussu creatum sed ex substantia effulgentem, sine divisione, sine tempore Patri unitum, aequalem in bonitate, aequalem in potestate, consortem gloriae. Ecquid enim, nisi sigillum et imago, totum in se ostendens Patrem? Quaecumque autem postea ex corporali constitutione loquitur, hominum dispensans salutem,

[1] LIETZMANN, p. 285. — [2] *Ibid.*, p. 198. — [3] *Ibid.*, p. 187. — [4] *P. Gr.*, XXXI, 369.

quam in carne manifestatus nobis ostendit, cuiusque causa se missum esse dixit, seque a seipso nihil posse facere, et mandatum accepisse, et alia id genus, ne tibi occasiones praebeant ad imminuendam Unigeniti divinitatem. Nam demissio ad infirmitatem tuam, deminutio esse non debet dignitatis potentis; sed naturam quidem intellige ut Deum decet, sermonum autem humilitatem secundum dispensationem accipe[1]. »

EIUSDEM; EX ORATIONE DE GORDIO MARTYRE: « Suadentibus autem negationem per linguam, sic respondit: non sustinere linguam a Christo creatam adversus creatorem suum quidquam loqui. Corde enim credimus ad iustitiam, ore autem confitemur ad salutem[2]. » ET PAULO POST: « Novi et alium centurionem, qui Dominum adhuc in carne constitutum agnovit Deum esse potestatumque regem, et iussu solo per administros spiritus posse egentibus auxilium mittere: de quo pronuntiavit Dominus fidem eius maiorem universo Israel esse[3]. »

* EIUSDEM; EX ORATIONE DE IULITTA MARTYRE ET DE ILLO: « GRATIAS AGITE »: « Et quid opus est parva recensere? Propter te Deus inter homines; propter corruptam carnem Verbum caro factum est et habitavit in nobis; cum ingratis beneficus; ad captivos liberator; apud sedentes in tenebris sol iustitiae; in cruce impassibilis; in morte vita; in inferis lux; resurrectio propter lapsos[4]. » * p. 300.

EIUSDEM; EX EPISTULA AD AMPHILOCHIUM DE SPIRITU SANCTO: « Neque enim caelum et terra immensitasque marium, neque ea quae in aquis habitant, neque bestiae terrae, neque plantae, stellae, aer, tempora multiplexque universi ornatus, excellentiam potentiae eius ita commendant, ut id, quod incomprehensibilis Deus potuerit impassibiliter per carnem morti implicari, ut nobis sua passione impassibilitatem largiretur[5]. »

GREGORII THEOLOGI, EPISCOPI NAZIANZENI; EX ORATIONE DE NATIVITATE SEU EPIPHANIA: « Nunc autem Epiphania est festum, seu Nativitas: utrumque enim dicitur, duabus uni rei appellationibus impositis. Apparuit namque Deus hominibus per nativitatem, alterum quidem iam exsistens semperque exsistens

[1] *P. Gr.*, XXXI, 468. — [2] *Ibid.*, 504. — [3] *Ibid.* — [4] *Ibid.*, 253. — [5] *P. Gr.*, XXXII, 100.

ex semper exsistente supra causam et rationem, — neque enim ulla causa Verbo superior erat, — alterum autem propter nos deinde factus, ut qui nobis esse dederat, nobis etiam bene esse largiretur [1]. » RURSUSQUE, EX EADEM ORATIONE : « Progressus autem Deus cum assumpto, unum ex duobus contrariis, carne et Spiritu [2]. »

* p. 301. * EIUSDEM ; EX ORATIONE IN LUMINA : « Ideo ea quae a mixtione aliena erant, miscentur : neque tantum effectioni Deus, carni mens, tempori temporis expers, mensurae incircumscriptum, sed etiam virginitati generatio, ignominia ei, quod omni honore praestantius est, et passionibus impassibile et corruptibili immortale. Nam quia existimabat astutus iste se invincibilem esse, cum spe divinitatis nos decepisset, carnis velamine decipitur ut quasi Adamum aggrediens in Deum incidat, sicque novus Adam veterem renovet et, morte per carnem mortificata, debitum carnis solvatur [3]. »

EIUSDEM ; EX ORATIONE DE PASCHATE : « Nusquam mens tua labet, ubi Dei sanguinem et passionem audis et morten ; nusquam impie corruas, tanquam Dei patronus, sed sine pudore atque dubitatione corpus ede, sanguinem bibe, si vitae desiderio teneris, neque sermones circa carnem *prolatos* mendaces reddens neque iis, qui de passione habentur, damnum passus. Firmus consiste, fixus, stabilis, nulla in re ab adversariis commotus, neque verborum persuasione abreptus [4]. »

ET POST ALIA : Indiguimus Deo incarnato et moriente, ut viveremus ; commortui sumus, ut purgaremur ; consurreximus, quia commortui sumus ; conglorificati sumus, quia consurreximus. Multa quidem illius temporis miracula : Deus crucifixus, sol obscuratus et rursus inflammatus : oportebat enim creaturas Creatori compati [5]. »

* p. 302. * EIUSDEM ; EX ORATIONE IN PENTECOSTEN : « Ausit autem fortasse quispiam eorum, qui prorsus petulantes sunt, ad novum quoque Adamum venire, Deum meum et Dominum nostrum Iesum Christum a veteri et sub peccato lapso Adamo septuagesimum septimum numeratum iuxta retrogradam Lucae genealogiam [6]. »

[1] *P. Gr.*, XXXVI, 313. — [2] *Ibid.*, 325. — [3] *Ibid.*, 349. — [4] *Ibid.*, 649. — [5] *Ibid.*, 661. — [6] *P. Gr.*, XXXVI, 433.

EIUSDEM ; EX SECUNDA ORATIONE DE FILIO : « Eiusmodi mihi videtur illud quoque esse : « Deus meus, Deus meus, respice in me, quare me dereliquisti ? » Neque enim, quod quidam opinantur, ipse vel a Patre vel a sua divinitate derelictus est, tanquam quae passionem extimuisset ac propterea ab eo, qui patiebatur, sese collegisset : quis enim eum, vel primum inferius gigni, vel in crucem ascendere coegit ? Ipse autem, ut dixi, in seipso id, quod nostrum est, repraesentavit. Nos enim eramus qui derelicti fueramus et prius neglecti ; nunc vero assumpti et salvati sumus per impassibilis passiones [1]. »

EIUSDEM ; EX ORATIONE, QUAM HABUIT IN SEIPSUM CUM RURE REDIISSET : « Nam et Elias libenter in Carmelo philosophabatur et Iohannes in deserto, ipseque Iesus actiones quidem turbis, orationes vero quieti et desertis plurimum tribuebat. Quid lege statuens ? ut opinor, oportere nos quoque paululum quiescamus, ut inturbato animo cum Deo conversemur et paululum mentem ab erroneis rebus extollamus. Neque enim ipsi opus erat secessione, — non enim habebat quo se retraheret, cum Deus esset et omnia impleret, — sed ut disceremus nos tempus et actionum esse et sublimioris quietis [2]. » ET POST ALIA, DE ILLO QUI PHILOSOPHICE PATITUR ET IMITATUR CHRISTUM : « Probris afficietur ? Hoc et Christus ; passionis societate ornabitur. Quamvis samaritanus vocetur, quamvis * ut daemonium habens culpetur, cum Deo omnia suscipiet. Multa adhuc supererunt, etsi multa passus sit : acetum, fel, spinea corona, sceptrum arundineum, chlamys coccinea, crux, clavi, latrones simul crucifixi, praetereuntes conviciantes : decet enim Deum plura habere, quod plura conviciis affectus sustinuerit [3]. » * p. 303.

EIUSDEM ; EX ORATIONE CONTRA ARIANOS ET DE SEIPSO : « Si latronem susceperit propter malitiam ipsius crucifixum, in paradisum propter bonitatem *suam* illum introducet. Benigni omnia sint benigna ; sic etiam discipulorum Christi : illis quid praestantius dabimus, si Deo etiam pro nobis mortuo, nos aequalibus nostris ne parva quidem remittamus [4] ? »

EIUSDEM ; EX ORATIONE IN NOVAM DOMINICAM : « Ne odio ha-

[1] *P. Gr.*, XXXVI, 109. — [2] *P. Gr.*, XXXV, 1237. — [3] *Ibid.*, 1244. — [4] *P. Gr.*, XXXVI, 232.

beas fratrem tuum, et quidem gratis, pro quo Christus mortuus est et frater tuus factus est, cum esset Deus et Dominus[1]. »

Eiusdem; ex oratione in Baptisma: « At Christus, inquit, triginta annos natus baptizatus est, idque cum esset Deus: tu vero iubes me baptismum urgere. Dicendo Deum, quaestionem solvisti. Ille enim ipsa purgatio erat, nec purgatione indigebat, sed tua causa purgatur[2]. » Et paulo post: « Et ille quidem ieiunavit quadraginta dies: Deus enim est. Nos autem ad vires nostras illud *ieiunium* exigimus, quamvis nonnullis zelus suadeat ut ultra vires prosiliant[3]. » Rursusque, post alia: « Crede Filium Dei, Verbum saeculis antiquius, ex Patre citra tempus et incorporeo modo genitum, ipsum novissimis diebus propter te factum esse hominis quoque filium et natum esse ex Virgine * Maria ineffabiliter et incontaminate, — nihil enim sordidum habetur, ubi Deus est et per quod salus *fit*; — totum hominem eundem et Deum, pro toto eo, quod passum est, ut tibi toti, cum totum peccati debitum solvisset, salutem largiretur; impassibilem secundum divinitatem, passibilem secundum assumptum; tantum hominem propter te, quantum tu propter illum Deus efficeris; ipsum propter iniquitates nostras ad mortem ductum et crucifixum et sepultum, hactenus ut gustaret mortem, et suscitatum tertia die ascendisse in caelum, ut te humi iacentem secum evehat[4]. »

Eiusdem; ex oratione in sanctum Athanasium: « Certissime enim stulte egerunt pastores, ut scriptum est, et pastores multi vastaverunt vineam meam; inhonoraverunt desiderabilem partem, ecclesiam Dei dico, multis sudoribus et caedibus ante Christum et post Christum ipsiusque Dei ingentibus pro nobis passionibus collectam[5]. »

Eiusdem; ex oratione funebri in sanctum Basilium: « Quanquam quid hoc mirabilius, Deum videre crucifixum, et quidem cum latronibus et a praetereuntibus irrisum eum, qui capi nequit et perpessione sublimior est[6]? »

Eiusdem; ex oratione funebri in patrem suum: « Morbo igitur laborabat et tempus sancti et celebris Paschatis erat: dies

[1] *P. Gr.*, XXXVI, 613. — [2] *Ibid.*, 400. — [3] *Ibid.*, 401, — [4] *Ibid.*, 424. — [5] *P. Gr.*, XXXV, 1108. — [6] *P. Gr.*, XXXVI, 581.

rex dierum et splendida nox, quae solvit peccati tenebras, in qua nos cum magna luminis copia salutem nostram festo celebramus ut cum luce pro nobis mortua mortui, cum eadem excitata excitemur[1]. »

* Eiusdem; ex secunda oratione invectiva adversus impium Iulianum: « O Christe, et Verbum, et impassibilis passiones totiusque mundi mysterium.[2] »

Eiusdem; ex epistula ad Cledonium: « Si quis Mariam non existimet Dei genetricem, alienus est a divinitate. Si quis tanquam per canalem dicat *Christum* per Virginem transiisse, non autem in ea formatum esse divino simul et humano modo: divino quidem, quia absque viro, humano autem, quia iuxta conceptus legem, item atheus est. Si quis dicat formatum esse hominem et postea Deum in illum irrepsisse, damnationi obnoxius est. Hoc enim non Dei generatio est, sed fuga a generatione[3]. » Et paulo post: « Si quis crucifixum non adoret, anathema sit et cum Dei occisoribus ponatur[4]. »

Gregorii, episcopi Nysseni; ex oratione catechetica: « Si enim intra fines naturae essent ea, quae de Christo narrantur, ubinam τὸ divinum? Sin autem sermo naturam superat, in iis ipsis, quae non credis, habetur demonstratio huius, *scilicet* quod Deus sit is, qui praedicatur. Nam homo ex coitu gignitur, et post mortem in corruptione invenitur. Si haec haberentur in praedicatione, non existimares illum esse verum Deum, qui in proprietatibus naturae assereretur. Quoniam autem eum genitum quidem esse audis, remotum autem a communitate naturae nostrae tum modo generationis, tum quod capax non sit recipiendi mutationem in corruptionem, recte erit ex consequenti te quoad alterum uti incredulitate, ne putes eum esse hominem unum ex iis, qui in natura ostenduntur. Absoluta enim necessitas *exigit* ut is, qui non credit illum, qui est huiusmodi, * hominem esse, accedat ad credendum illum Deum esse. Nam qui dixit illum genitum esse, etiam hoc modo illum genitum esse simul narravit. Si ergo verum est ex iis, quae dicta sunt, eum genitum esse, ex eisdem prorsus eum hoc modo genitum esse indubium fit. Qui enim generationem asse-

[1] *P. Gr.*, XXXV, 1017. — [2] *Ibid.*, 676. — [3] *P. Gr.*, XXXVII, 177. — [4] *Ibid.*, 180.

ruit, etiam « ex Virgine » addidit; et qui mortem commemoravit, resurrectionem quoque cum morte attestatus est. Si ergo ex iis, quae audis, das eum et mortuum et natum esse, ex iisdem omnino dabis extra passionem esse tum generationem, tum mortem eius [1]. » RURSUSQUE, POST ALIA: « Sicut potestatem habemus in aquam, ut et in ea simus, et ex ea rursus ascendamus, eodem modo erat in potestate eius, qui super omnia dominationem obtinet, ut, sicut nos in aqua, ita ipse in morte immersus, ad propriam beatitudinem denuo veheretur. Si quis igitur ad id, quod convenit, aspiciat, et iuxta utriusque virtutem ea, quae fiunt, iudicet, nullam in iis, quae fiunt, inveniet discrepantiam, utroque iuxta naturae suae mensuram operante id, quod *est* secundum suam virtutem. Quemadmodum enim homini *praesto est* aqua, ut absque periculo eam, si velit, tangat, infinito facilius divinae virtuti praesto est mors, tum ut in ea sit, tum ut conversionem ad passionem vitet [2]. »

EIUSDEM; EX ORATIONE TERTIA DECIMA COMMENTARII CANTICORUM CANTICORUM: « Quomodo Deus in carne manifestatur? Quomodo Verbum caro factum est? Quomodo in virginitate partus et in vulva virginitas? Quomodo cum tenebris lux miscetur et cum morte vita temperatur? Quomodo potuit * pusillum mundi foramen in se capere manum, quae omnia quae sunt continet, qua totum caelum mensuratur, tota terra omnisque aqua continentur [3]? »

* p. 307.

EIUSDEM; EX ORATIONE SEPTIMA DECIMA EIUSDEM COMMENTARII: « Deus in carne manifestatus, eo quod ex Iuda quidem ortus sit, gentibus autem in tenebris et in mortis umbra sedentibus illuxerit, recte et congruenter ad naturam cognati nomine vocatur ab ea, quae ipsi in aeternam societatem desponsata est, cum ipsa populi ex Iudaeis *orti* soror sit [4]. » ET POST ALIA: « Quemadmodum et Paulus, imitator ille Christi, faciebat seipsum a vita exterminans, ut propriam passionem pro salute Israel commutaret, dicens: « Optabam anathema esse a Christo pro fratribus meis, cognatis meis secundum carnem. » Ad quem convenienter *et* apte dici potest illud, quod ad sponsam dictum est: talis est animae tuae pulchritudo, qualis fuit erga nos benevolentia Domini, qui semetipsum exinanivit, for-

[1] *P. Gr.*, XLV, 45. — [2] *Ibid.*, 89. — [3] *P. Gr.*, XLIV, 1012. — [4] *Ibid.*, 1092.

mam servi accipiens, et semetipsum dedit commutationem pro vita mundi, et propter nos pauper factus est, cum dives esset, ut nos in ipsius morte viveremus et in ipsius paupertate ditaremur et in forma servitutis ipsius regnaremus [1]. »

EIUSDEM; EX ORATIONE PRIMA COMMENTARII BEATITUDINUM: « Hoc enim, ait, sentite in vobis, quod et in Christo Iesu; qui, cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens. Quid magis mendicum apud Deum quam servi forma? Quid humilius apud eorum, quae sunt, Regem quam in communionem mendicae nostrae naturae sua sponte venire? Rex regum * et Dominus dominationum formam servi accipit; iudex omnium principibus tributarius fit; Dominus creaturae in spelunca commoratur; qui universa tenet, non invenit locum in diversorio, sed in praesepio animalium abicitur; purus ille et incontaminatus humanae naturae sordes accipit et, per omnem nostram mendicitatem incedens, usque ad mortis experimentum pervenit. Videte mensuram voluntariae mendicitatis: vita mortem gustat; iudex ad tribunal ducitur; Dominus vitae omnium, quae sunt, iudicantis sententiae subicitur; rex omnium supramundanarum virtutum carnificum manus non repellit. Ad hoc exemplum, ait, mensura humilitatis nobis spectet [2]. »

* p. 308.

AMPHILOCHII, EPISCOPI ICONIENSIS; ADDUXIT AUTEM HUNC *locum* SANCTUS CYRILLUS IN SANCTA ET UNIVERSALI SYNODO EPHESINA [3]: « Quoniam enim idem et rex et Deus, et mortalitatem propter passionis dispensationem gustavit, munera mysteriorum sunt indicativa. Offerunt aurum, nam agnoscunt ipsum esse regem; offerunt thus, nam Deo offerunt; addunt et myrrham, propter illam in mysterio mortalitatem passionis [4]. » EIUSDEM: « Nisi enim ille natus fuisset carnaliter, nec tu regeneratus fuisses spiritualiter. Nisi ille formam servi accepisset, nec tu adoptionis filiorum gloriam lucratus esses. Ideo enim in terra caelestis, ut tu, qui in terra *es*, in caelum extollaris. Ideo Christus semetipsum exinanivit, ut nos omnes de plenitudine eius acciperemus. Mors eius immortalitas tua facta

[1] *P. Gr.*, XLIV, 1097. — [2] *Ibid.*, 1201. — [3] Cfr MANSI, IV, 1196. — [4] *P. Gr.*, XXXIX, 100.

est; passio Domini exaltatio servi facta est. Tu vero beneficium *ut* blasphemiae commeatum accipis [1]. »

EIUSDEM; IN ILLUD: PATER, SI POSSIBILE EST, TRANSEAT A ME CALIX ISTE: * « Sicut ergo caro factus sum, quin deciderem ab eo, quod Deus sim, ita et passionem subii, quin deciderem in passionem. Natus sum propter dispensationem; mortuus sum propter hominum salutem; imo mortuus sum, quia natus sum. Itaque, noli a me quaerere sive generationis ordinem sive mortis modum: quae enim natura non facit, virtus perficit [2]. »

(* p. 309.)

CYRILLI, EPISCOPI HIEROSOLYMITANI: EX CATECHESI TERTIA DECIMA: « Venit igitur sua sponte ad passionem, gaudens de eximio opere, hilaris propter coronam, exsultans propter hominum salutem, non erubescens crucem: salvabat enim orbem. Neque enim vilis homo erat qui patiebatur, sed Deus inhumanatus et patientiae certamen certans [3]. » ET POST ALIA: « Et propheta admirans dicit: « Domine quis credidit auditui nostro? » Incredibilis enim res est, Deum, Dei Filium et brachium Domini ista tolerare. Ut autem credant ii, qui salvantur, *hoc* praefigurat Spiritus sanctus ex persona Christi dicentis, — nam ipse, qui ista loquebatur, postea aderat: « Dorsum meum dedi in flagella.» Pilatus autem flagellavit eum atque tradidit ad crucifigendum [4]. » ET PAULO POST: « Admirare Dominum iudicatum. Sustinuit, cum milites ipsum agerent et inducerent. Pilatus sedebat iudicans, et is, qui a dextris Patris sedet, stans tolerabat. Populus ab ipso e terra Ægypti et ex aliis locis saepissime salvatus, in ipsum clamabat: « Tolle, tolle; crucifige eum [5] ». ET POST ALIA: « Memento autem eorum quoque, quae multoties dixi de eo, quod a dextris Patris Filius sedeat, propter consequentiam fidei dicentem: « Et ascendit in caelum, * et sedit a dextris Patris ». Formam quidem throni mensuramque noli scrutari: est enim incomprehensibilis. Neque etiam consentias perverse dicentibus quod post crucem et resurrectionem et ascensionem in caelum, tunc Filius a dextris sedere incepit: non enim ex profectu thronum obtinuit, sed ex quo est: est autem semper genitus: sedens cum Patre genitus est. Et illum thronum ante adventum secundum carnem Salvatoris nostri Isaias propheta vidit et dixit: « Vidi

(* p. 310.)

[1] *P. Gr.*, XXXIX, 100. — [2] K. HOLL, *Amphilochius von Ikonium*, p. 97. — [3] *P. Gr.*, XXXIII, 780. — [4] *Ibid.*, 789. — [5] *Ibid.*, 792.

Dominum sedentem super thronum excelsum et elevatum », et cetera [1]. »

GELASII, EPISCOPI CAESAREAE PALESTINAE; EX HOMILIA IN ILLUD: « REMANSIT IACOB SOLUS, ET VIR LUCTABATUR CUM ILLO [2] »: Nesciebam ipsum Iesum talem esse in cruce, ego, qui ex gentibus veni; nudum autem hominem occidi existimabam. Illum autem Deum esse docuerunt me terra contremiscens, sol obscuratus, velum scissum, mortui ad vitam currentes; nam haec mirabilia non hominis, sed Dei erant. Non sustinebam plerumque eum, qui in sepulchro erat, aestimare Deum esse. Milites autem timore tremefacti veritatem mihi significarunt dicentes: « Vere Filius Dei erat iste ». Corpus quidem ut defuncti custodiebant; virtutem autem tanquam Dei videbant. Imitetur ergo quilibet ex adstantibus priorem Iacobi vocem, dicendo: « Vere Filius Dei est iste [3]. »

EIUSDEM; EX ORATIONE SEXTA CATECHESIUM: « Mixta enim omnia erant, quae in passione fiebant. Et infra quidem probris afficiebatur, supra autem glorificabatur; colapho vapulabat, et solares radios obscurabat; * manus eius ligabantur et fulgores vinxit; in cruce figebatur, et peccatum secum fixit; mortuus, et inter mortuos liber; per mortem mortem calcavit [4]. »

(* p. 311.)

EIUSDEM; EX ORATIONE VICESIMA CATECHESIUM: « Sanctus erat a principio Adam in paradiso atque spiritualis, ad imaginem Dei, protoplastus. Cum autem ab imagine decidisset, spiritualis iam non erat, sed comparatus est iumentis insipientibus et similis factus est illis. Quapropter impassibilis mortuus est, ut per mortem pristinam imaginem instauraret [5]. »

IOHANNIS, EPISCOPI CONSTANTINOPOLITANI; EX PRIMA ORATIONE COMMENTARII EVANGELII MATTHAEI: « ...quod Deus homo factus est; quod miracula fecit; quod crucifixus est; quod sepultus est; quod surrexit; quod ascendit; quod iudicaturus est; quod salutaria dedit praecepta; quod leges veteri non contrarias induxit; quod Filius est; quod Unigenitus est; quod verus est; quod eiusdem substantiae, et quotquot sunt his similia [6]. »

RURSUSQUE; EX ORATIONE SECUNDA: « Etenim valde mirabile

[1] *P. Gr.*, XXXIII, 860. — [2] *Gen.*, XXXII, 24. — [3] Locum non repperi. — [4] Item. — [5] Item. — [6] *P. Gr.*, LVII, 16.

est auditu Deum ineffabilem, inexplicabilem, incomprehensibilem, Patri aequalem, per virgineam vulvam venisse et ex muliere fieri sustinuisse, et avos habere Davidem et Abrahamum. Et quid dico Davidem et Abrahamum? Nam quod horribilius est: mulieres illas, quas modo memoravimus. Haec audiens, surge et noli quidquam vile suspicari, sed etiam ob id ipsum magis mirare quod, cum Filius Dei esset, verusque Dei sine principio exsistentis Filius, * sustinuerit se eundem Davidis quoque filium vocari, ut te efficeret filium Dei. Sivit servum sibi fieri patrem, ut tibi servo Dominum efficeret patrem. Vidistine statim ab initio quaenam sint evangelia?[1] » ET POST ALIA: « Quod enim omnino mirabile est et omnem spem atque exspectationem superat: hominem fieri Deum; quo facto, omnia ulteriora secundum rationem et ordinem sequuntur[2]. »

RURSUSQUE; EX ORATIONE DUODEVICESIMA, UBI EXPLICAT: « OMNIS ARBOR, QUAE NON FACIT FRUCTUS BONOS, EXCIDETUR ET IN IGNEM CADET »: « Si enim cum ipse inimicus essem, illumque odio haberem atque faciem meam averterem, ita me persecutus est ut ne sibi quidem parceret, sed semetipsum morti traderet: cum post haec omnia neque panem dignatus fuero dare esurienti, qualibus oculis ipsum iam respiciam? Considera vero hic quoque eius mansuetudinem. Neque enim beneficia sua dicit, neque *dicit:* « Me, qui tantis te ditavi, neglexisti »; neque dicit: « Me, qui te ex nihilo ad existentiam adduxi; qui animam insufflavi, teque super omnia, quae in terra sunt, constitui, et pro te terram et caelum et mare et aerem et omnia, quae sunt, feci, et a te inhonoratus sum et diabolo vilior aestimatus sum, neque sic quidem destiti, sed multa etiam post illa excogitavi; qui servus fieri sustinui, et alapis caedi et conspui; qui immolatus sum; qui morte turpissima mortuus sum; me, qui pro te in supernis supplico et Spiritum tibi largior; me, qui te regno dignor et talia tibi promisi, et tibi caput fieri volui et sponsus et vestis et domus et radix et esca et potus et pastor et rex et frater, et in te haerede et cohaerede * mihi complacui; me qui e tenebris in regnum lucis te adduxi! » Haec igitur multaque plura cum dicere posset, nihil tale dicit. Sed quid? Solum

[1] *P. Gr.*, LVII, 25. — [2] *Ibid.*, 27.

hoc delictum. Et hic ostendit amorem et dilectionem, quam habet pro te. Neque enim dixit: « Ite in ignem vobis paratum », sed « diabolo paratum »[1].

EIUSDEM; EX ORATIONE QUINTA DECIMA COMMENTARII EPISTULAE APOSTOLI AD ROMANOS: « Christus, ait, mortuus est, imo surrexit a mortuis; qui est a dextris Dei; qui etiam interpellat pro nobis. Etenim, in propria dignitate manifestatus, nostri curam non dimisit, sed et interpellat pro nobis et adhuc manet eandem nobis servans caritatem. Non enim satis habuit caedem tantum; quod summi amoris est, non solum ea quae ad se pertinent facere, sed et alii hac de re persuadere: hoc enim solum significare vult *Paulus* per illud « interpellat pro nobis », humaniore et demissiore modo loquens, ut amorem eius ostendat. Nisi enim illud quoque « Filio non pepercit » hoc sensu accipiamus, multa sequentur absurda. Et ut disceres hoc esse, quod vult adstruere, cum prius dixisset « est a dextris », tunc intulit « interpellat pro nobis », paritatem honoris et aequalitatem ostendendo, ut illud « interpellare » non minoris dignitatis sed amoris tantum esse videretur. Qui enim ipsa vita est fonsque omnium bonorum, et ipsa Patris potestate mortuos etiam suscitat et vivificat, et cetera omnia facit, quomodo « interpellatione » indigeret ut nos adiuvaret?[2] »

EIUSDEM; EX ORATIONE SEXTA DECIMA DE PRIMA EPISTULA AD CORINTHIOS: « Quid dicis? Ablata sunt * a me omnia quae habebam, et me silere iubes? Vis mihi allata est, et mansuete feram? Et quomodo illud potero? Facillime quidem, si in caelum respexeris, si hanc pulchritudinem videris et ubi Deus promissus sit te, si iniuriam generose feras, ab ipso suscipiendum esse. Hoc itaque fac et oculus tuos in caelum leva, et intellige sedenti ibi super Cherubim te similem esse: nam et ille contumelia affectus est et pertulit; et probris affectus est nec nocuit; vapulavit, quin retribueret, sed imo ita agentibus multa beneficia rependit, nosque ipsius imitatores fieri iussit[3]. »

EIUSDEM; EX ORATIONE OCTAVA IN SECUNDAM EPISTULAM AD CORINTHIOS: « Admiremur ergo Dei potentiam; admiremur, adoremus. Sciscitemur ex Iudaeis, sciscitemur ex gentilibus, quisnam universo orbi persuaserit ut a patriis moribus absce-

[1] *P. Gr.*, LVII, 318. — [2] *P. Gr.*, LX, 543. — [3] *P. Gr.*, LXI, 137.

deret et ad aliam vivendi rationem se conferret? Piscator, aut tentoriorum effector? Publicanus, aut litterarum expers et indoctus? Et quomodo haec rationem haberent, nisi divina virtus fuisset, quae per illos omnia conficeret? Quid autem dicentes illi persuadebant? Baptizemini in nomine crucifixi. Cuiusnam? Eius, quem neque noverant neque viderant. Attamen haec dicentes persuadebant, et praedicantes eos quidem, qui vaticinabantur et a maioribus traditi fuerant illis, nos esse deos, eum vero, qui cruci affixus erat, ipsum Deum esse, omnes attrahebant[1]. »

ITEM, EX ORATIONE SEPTIMA DECIMA: « Etenim inexplicabilis, inexcogitabilis, invisibilis, incomprehensibilis, qui gloriam habet ineffabilem et lucem inaccessibilem et infinitam maiestatem, — hoc enim est illud [* p. 315.] * « cum esset dives » —, factus est pauper, factus est homo, condemnatus, crucifixus, multa passus est, rursusque, — quod maximum est, — propter te, qui salute dignus non es. Ideo istam rem vocat etiam gratiam; nam pro iis, qui cruciatibus afficiendi fuissent, etiam sanguinem suum fudit. Cogita ergo quanta sit gratia, cum ipse Deus, cum pro inimicis, cum homo factus, cum nobis non ista, sed e contrario cruciatum et condemnationem debeat, caelum largitur, idque per proprium sanguinem. Haec igitur omnia atque similia significans, dixit: « Scitote gratiam Domini nostri, quia propter nos egenus factus est[2] ».

EIUSDEM; EX HOMILIA, CUIUS TITULUS QUIDEM EST: « IN ILLUD: DE CETERO, FRATRES MEI, CONFORTEMINI IN DOMINO », INITIUM AUTEM: « PARVUS QUIDEM COETUS ADSTANTIUM », UBI INDUCIT PONTIFICES IUDAEORUM DICENTES APOSTOLIS: « VULTIS INDUCERE SUPER NOS SANGUINEM HOMINIS ISTIUS »: « Si nudus homo est, quid tremis eum? Si Deus est, cur eum non adoras? Annon clamabas olim, dicens: « Sanguis eius super nos et super filios nostros »? Unde igitur tremis sanguinem eius? Quid est istud, quod mentem tuam terret? Nonne ligasti, nonne flagellasti, nonne crucifixisti *eum?* Nonne mortuum vidisti, in infernum e cruce descendentem? Nonne sigilla sepulchro imposuisti? Nonne milites munere corrupisti? Nonne famam sparsisti quod

[1] *P. Gr.*, LXI, 458. — [2] Locum non repperi.

discipuli eius eum furati sint? Quid nunc tremis et sanguinem eius times? Vides veritatem per omnia fulgentem[1]: Deus est, qui crucifixus est et ideo ipsum ipsiusque sanguinem timent[2]. »

EIUSDEM; EX ORATIONE DUODECIMA COMMENTARII EVANGELII IOHANNIS: « Apparuerunt itaque, ut dixi, et angeli * [* p. 316.] multa cum gloria in terra, ut Danieli, Davidi, Moysi; sed ut servi et dominum habentes, ita omnia faciebant, ipse vero ut Dominus et omnium imperator; et haec quidem, cum sub vili et humili forma apparuerit. Attamen, sic quoque creatura suum Dominum agnovit: stella quidem de caelo magos ad illum adorandum vocabat; angelorum autem magnus coetus ubique effusus in mundo, Dominum suum laudabant et glorificabant; et alii repente praecones insurgebant[3]. » ET PAULO POST: « Videre erat res mirabiles, quas revera prophetae videre desideraverunt, et non viderunt. Videre erat formatos oculos, et illud optabile, quod omnes videre desiderarent, quomodo scilicet Adamum Deus creaverit, hoc ipsum in brevi momento omnibus apparebat et in praestantiore parte corporis: *videre erat* membra soluta atque separata iam cohaerentia et inter se copulata; manus emortuas motu gaudentes; membra denuo constituta. Nam optimi artificis instar, communem hominum naturam tempore debilitatam tunc assumpsit, sicque confracta restituit, disiuncta et soluta copulavit et, ad summam, lapsum erexit[4]. »

RURSUSQUE, EX ORATIONE SEXAGESIMA QUARTA: « O insipientiam! Illum in aliorum corporibus mortis victorem morti se tradituros sperabant. Et dicunt: « Quid facimus, quia hic homo multa signa facit? » Hominem illum adhuc vocas, cum talem divinitatis demonstrationem acceperis! « Quid facimus? » Credere oportebat et colere et adorare, neque amplius hominem illum esse existimare[5]. »

[* p. 317.] * RURSUSQUE, EX ORATIONE SEPTUAGESIMA QUINTA: « Ideo etiam cum illis comedit, ne res phantasia putaretur. Nam si super aquas illum videntes, id existimarunt, licet eadem specie apparente ipsoque non multum distante, quid suspicati fuissent

[1] *P. Gr.*, LXIII, 500. — [2] Haec ultima verba in textu graeco homiliae non reperiuntur. — [3] *P. Gr.*, LIX, 82. — [4] *Ibid.*, 83. — [5] *Ibid.*, 358.

si illum statim resurgentem vidissent, quem captum et linteis involutum viderant? Propterea continuo dicit ad illos se appariturum esse et cur appariturus sit, ne phantasiam esse putent[1]. »

RURSUSQUE, EX ORATIONE OCTOGESIMA QUINTA: « Nam quia omnia consummata erant, inclinavit caput suum, — non enim illud clavis affigebatur, — tradidit spiritum suum, id est, egressa est anima eius, licet non postquam inclinatum est caput fiat ut tradamus animam nostram, sed postquam egressa est anima *caput inclinetur*. Hic autem contrarium fit: non enim quia egressa erat anima eius inclinavit caput suum, sed inclinavit caput suum et tunc egressa est anima ipsius. Quibus omnibus declaravit evangelista ipsum universorum esse Dominum[2]. »

THEOPHILI, EPISCOPI ALEXANDRINI; EX ORATIONE PROSPHONETICA AD EOS, QUI ORIGENIS SENTENTIIS ADHAERENT: « Ne verbo tantum, sed et virtute verus Deus crederetur is, qui apparuit, per magnificentiam eorum, quae efficiebantur, sui securitatem significavit: quod plene quidem sit Deus, perfecte autem inhumanatus, nihilque humanae similitudinis extra reliquerit, nisi tamen iniquam malitiam. Etenim infans factus, Emmanuel proclamabatur; et Magi ad eum veniebant et adorando eum, qui apparuerat, Deum esse clamabant, quia etiam secundum carnem crucifixus, solis radios reprimebat[3]. »

EIUSDEM; EX *epistula* HEORTASTICA DUODEVICESIMA: « Ianitores inferorum * dicit videntes illum horruisse, cum timuissent transitum manifestationis illius. Explanando illum sedentibus in regione et in umbra mortis illuxisse, et dicendo illos horruisse, prodigium significat. Nam Rex caelestis est, etiam ibi apparens, qui regionem tristitiae animarum, in quam descendit, splendore lucis divinitatis illuminabat[4]. » ET POST ALIA: « Sed remanens, ut scriptum est, quidquid erat a principio, etiam homo factus, sic praedicatur mutationem non perpessus; et crucifixus Dominus gloriae proclamatur, quia inhumanatio nihil de divinitate eius detraxit. Mansit enim etiam sic Unigenitus, quemadmodum Iohannes dixit: « Vidimus gloriam eius, gloriam quasi Unigeniti a Patre, pleni gratiae et veritatis[5]. »

* p. 318.

[1] *P. Gr.*, LIX, 407. — [2] *Ibid.*, 462. — [3] *P. Gr.*, LXV, 56. — [4] Locum non repperi. — [5] Item.

EPIPHANII, EPISCOPI SALAMINAE, QUAE ET CONSTANTIA *dicitur*, IN INSULA CYPRO; EX LIBRO SECUNDO OPERIS ADVERSUS HAERESES, UBI CONTRA PAULUM SAMOSTENUM EXSURGIT: « At isti, iudaismum corrumpentes, neque quidquam amplius quam Iudaei habentes, alteri Iudaei vocabuntur, et Samosateni, neque aliud quidquam sunt, nisi nomen tantum secundum opinionem tenentes. Nam cum Deum de Deo, Filium Unigenitum et Verbum negent, tales sunt quales illi erant, qui cum in adventu eius negarunt, Dei et Domini sui occisores et Dei negatores facti[1]. »

EIUSDEM; EX EPISTULA AD PRESBYTEROS PISIDIAE DE SANCTO PASCHATE, CUIUS INITIUM EST: « BONUM EST QUIDEM FRATREM A FRATRE SUO ADIUVARI »: « Non enim propter ipsum pascha celebramus, sed propter nos; illos autem labores pro nobis in ipso accidisse confitemur; non perinde ac si ipse Dominus illis indiguisset: ipse enim Dominus noster * impassibilis in caelo, passus est carne, vivit autem spiritu; nam passus est pro nobis, impassibilis vero est propter se. Quod autem passus sit, non passionis vi adactus passus est, sed sua voluntate, neque potentia neque impassibilitate divinitatis deficientibus; invisibilis non comprehensus est, sed in visibili incomprehensibilis voluntarie comprehendebatur incomprehensus; volens patiebatur non patiens, et impassibilis semper manet[2]. »

* p. 319.

EIUSDEM; EX EPISTULA AD BASILIANUM, CUIUS INITIUM EST: « VIRTUS SPIRITUS SANCTI NON IN CORPORE TANTUM INSIGNES REDDIT EOS, QUI GRATIAM ACCEPERUNT »: « Sed vivum Dei Verbum per se corpus formavit et caro factum est, non mutationem perferens, sed quia ex eadem Virgine inhumanatum et natum est, et vere humanam animam assumpsit, sicut novimus eum vere hominem factum esse perfectum, qui est Deus praeexsistens, sed homo ex Maria; et vere crucifixum et sepultum esse et surrexisse in hoc corpore et in hac sancta anima et in ipsa divinitate, impassibilem passum et passum impassibilem, cum unus sit Dominus et unus sit Christus, homo et Deus, non duo sed unus, idemque Deus et homo[3]. »

EIUSDEM; EX EPISTULA AD MAGNUM, ANTIOCHIAE PRESBYTERUM, QUI SABELLIANUS ERAT, CUIUS INITIUM EST: « VIRTUS

[1] *P. Gr.*, XLII, 13. — [2] Locum non repperi. — [3] Item.

Spiritus sancti fortes reddit eos, qui gratiam a Deo acceperunt »: « Galatae quidem insipientes » et « Cretes semper mendaces » et « Ephraim columba stolida »; Dominus vero inhumanatus in mundo omnia naturalia perfecte assumpsit, immo assumpsit ipse proprii corporis plasmator factus, ipse sibi as- 5
* p. 320. sumens animam [1], qui * dixit: Potestatem habeo dandi illam, id est, ponendi illam iterumque sumendi illam [2]. »

Antiochi, episcopi Ptolemaidis; ex oratione in illud: « Beatus qui intelligit super egenum et pauperem », et in illud: « Nunc anima mea turbata est »: « Deus, qui omnia 10 pascit, qui dat cibum omni carni, sumpsit cibum propter te; qui vigilem angelorum naturam constituit, dormivit propter te; qui soli cursum praefinivit, fatigatur propter te [3]. »

Eiusdem; ex oratione in Chananaeam: « Cantate Domino canticum novum. Vere namque novum est canticum, quia is, 15 qui in sinu Patris sui requiescit, in praesepi iacet infans recens natus. Vere novum est canticum, quia is, qui caelestes ordines regit, qui omnia implet, propter dispensationem huc illucque circumfertur. Canticum novum: Virgo absque viro gravida efficiebatur et Dominum suum pariebat. Canticum novum: 20 unum lignum in terrae angulo erectum est, et totum orbem absque labore subiecit. Canticum novum: Iudaeus procul a promissionibus factus est et sub iugo servitutis redactus. Canticum novum: qui extendit caelum velut tentorium, qui ambulat super alas venti, ipse ignominiose patibulo affixus est [4]. » 25

Eiusdem; ex oratione in illud: « Non est meum dare, sed quibus paratum est a Patre meo »: « Passionis tempore, ipso dispensationis pro nobis tempore, cum in cruce penderet ipse, vita nostra; cum ipse seipsum sua sponte pro nobis passionibus daret, cum pro nobis pateretur et secundum quid non pa- 30
* p. 321. teretur; cum pro nobis vapularet et non laederetur; * cum moreretur, qui vita nostra est; cum velut unus ex iis, qui sunt super terram [5], semetipsum tradidisset in manus Iudaeorum caedibus pollutorum [6]; in cruce pendens ad latronem potenter dicit: « Hodie mecum eris in paradiso [7]. » 35

[1] Hucusque locus reperitur in *Ancorato* Epiphanii, *P. Gr.*, XLIII, 161. — [2] Ultimam loci sententiam non repperi. — [3] Locum non repperi. — [4] Item. — [5] ἐπίγειος. — [6] μιαιφόνος. — [7] Locum non repperi.

Severiani, episcopi Gabalitani; ex oratione in centurionem et Manichaeos et Apollinaristas: « Cum enim ieiunasset quadraginta diebus et quadraginta noctibus, postea esuriit. Et cum sitivit, petiit aquam a Samaritana. Et cum iter fecit, iti- 5 nere fatigata est natura, quae non fatigatur. Esuriit, qui omnes pascit. Sitivit, qui mundo potum dat. Dormivit, qui fluctus sedat. Exhibuit omnes carnis passiones absque peccato: neque enim peccatum fecit, neque dolus inventus est in ore eius [1]. »

Eiusdem; ex oratione in illud: « Surgens Salvator noster 10 a caena, lavit pedes discipulorum suorum »: « O prodigium! Cum eo, coram quo angeli in timore consistunt, magna cum fiducia discipuli accumbebant. Neque hoc prodigium illi satis fuit. Surrexit a caena, ait, et exuit vestem suam, qui amictus est lumine sicut vestimento; et cinxit se linteo, qui cingit caelum 15 nubibus; misit aquam in pelvim, qui in fontes et flumina naturam aquae infundit; et in genua procidit et pedes discipulorum lavit ille, cui curvatur omne genu caelestium et terrestrium et subterraneorum [2]. »

Eiusdem; ex oratione in illud: « Confiteor tibi, Pater, 20 Domine caeli et terrae », et de visione, quam vidit Daniel in Susa civitate: « Et si quis accurate velit et loqui et audire: ipse Christus pro seipso neque venit, neque passus est, neque surrexit: nullo enim ex his indigebat * fons immortalitatis; * p. 322. neque sibi quidquam lucratur, nam omnia nobis donat. Ap- 25 paruit propter nos ut homo, non humana carne indigens, sed naturam humanam recuperans. Baptizatus est in Iordane, non peccata ponens, sed naturae aquae sanctificationem immiscens; neque praestantiori virtute sanctificabatur, sed in ipsa humanitatis specie, etsi baptizari videbatur, ipse seipsum sanctifica- 30 bat. Ipsius enim magni Regis vox est: « Et pro eis ego sanctifico meipsum, ut sint et ipsi sanctificati in veritate. » Ideo etiam patitur, ut passionem nostram solvat; ideo reviviscit, ut mortem solvat; ideo resurgit, ut nos suscitet [3]. »

Eiusdem; ex homilia Alexandriae dicta, in ecclesia Cy- 35 rini, ex Habacuc propheta: « Consideravi Deum inter ho-

[1] Locum non repperi. — [2] Item; cfr tamen *P. Gr.*, LIX, 715-716. — [3] Locum non repperi.

mines propter misericordiam conversantem, et obstupui. Consideravi infinitum et immensum in finito corpore, et obstupui. Consideravi impassibilem in cruce, et obstupui. Consideravi fontem immortalitatis in sepulchro, et obstupui. Consideravi cum Patre supra sedentem cum latronibus crucifixum, et obstupui. Consideravi super Cherubim supra sedentem propter nos in pullo infra sedentem, et obstupui. Consideravi eum, coram quo millia millium Angelorum supra consistunt, stantem infra coram praefecto Pilato, et obstupui. Consideravi legem angelis supra imponentem, cum publicanis infra comedentem, et obstupui[1]. »

ATTICI, EPISCOPI CONSTANTINOPOLITANI; EX ORATIONE IN NATIVITATEM; REPERITUR IN IIS, QUAE EPHESI FACTA SUNT CORAM SANCTA SYNODO[2]: « Hodie Dominus noster Christus nativitatem * clementiae suscepit; divinae enim dignitatis *nativitas* praeexsistebat[3]. » POSTEA HIS RURSUS ADDIT: « Clementiae Verbum exinanitur, cum sua natura non sit exinanitum: semetipsum enim exinanivit, formam servi accipiens. Carnis expers propter te incarnatur: Verbum enim caro factum est. Qui propter naturae suae incorporalitatem contrectabilis non est, contrectatur. Principio carens, corporali principio subditus est. Perfectus incrementum sumit; immutabilis proficit; dives in diversorio fit. Qui caelum nubibus tegit, fasciis involvitur[4]. »

* p. 323.

CYRILLI, EPISCOPI ALEXANDRINI; EX TOMO SECUNDO CONTRA BLASPHEMIAS NESTORII: « Ita unus intelligitur et solus, et omnis sermo ei convenit, et velut ex una persona omnia dicuntur. Una enim iam intelligitur natura post unionem, ipsius *nempe* Verbi *natura* incarnata, sicut etiam de nobis ipsis convenienter intelligitur. Homo enim unus re vera est, compositus ex dissimilibus rebus, ex anima, inquam, et corpore. Porro illud etiam nunc necessario est notandum, dicere nos corpus illud Deo Verbo unitum anima rationali esse animatum[5]. »

EIUSDEM; EX TOMO QUINTO: « Hic est ille, cui pro nobis spinea corona fuit circumposita; hic, non alius, est qui humanitus quidem crucifixus est et dicebat: « Deus meus, Deus meus,

[1] Locum non repperi. — [2] Cfr MANSI, IV, 692 et 1193. — [3] P. Gr., LXXVI, 341 vel 1213. — [4] Ibid. — [5] P. Gr., LXXVI, 60.

utquid me dereliquisti? » divinitus autem solis radios cohibebat et in die media noctem ponebat, ne illum simplicem hominem mera, iuxta verbum tuum, adhaesione, — ad Deum Verbum dico, — honoratum confiteamur, sed Deum potius illum credamus * in nostra et in servi forma, memores illum per vocem Isaiae dixisse: « Et induam caelum tenebris, et ponam ut saccum vestimentum eius ». Ipse enim, qui loquebatur, adest et quod olim ut Deus futurum praesignificavit, temporibus suis humanitus crucifixus implevit. Etenim lugubri, ut dici potest, veste caelum tenebris se induit; sol autem lucem radiorum suorum iam non tribuens iis, qui adversus universorum Dominum et Deum insanire ausi erant, mentis et cordis tenebras futuras illis praesignificavit[1]. » ET POST ALIA: « Etiamsi illum visum dicas et ligno affixum, illum Thomae manibus contrectatum, nihilominus nos illud ex Deo Patre Verbum incarnatum intelligimus et unum eundemque confitemur Filium: invisibilis enim cum esset secundum naturam, visibilis factus est, quia ipsius proprium est corpus, quod videtur[2]. » RURSUSQUE, POST ALIA: « Sed nos, o bone, simul cum beato Thoma illum ligno affixum, illum manibus contrectatum, humanis autem oculis visum iis, quae ipsum decent, laudibus coronantes dicimus: Dominus meus et Deus meus[3]. »

* p. 324.

EIUSDEM; EX *opere* « QUOD UNUS EST CHRISTUS »: « Itaque simul cum incarnationis rationibus inducuntur et ea, quae propter illam secundum dispensationem illata sunt ei, qui voluntariam exinanitionem tulit, ut et esurire et defatigari. Quemadmodum enim non defatigaretur, cum ipse sit omnis potestas, neque rursus esurire diceretur, qui cibus vitaque omnium est, nisi sibi proprium reddidisset corpus esuriei et defatigationis capax: ita nunquam cum iniquis reputatus esset, — sic enim eum factum esse peccatum dicimus, — * neque rursus in maledictionem factus esset, crucem pro nobis subiens, nisi factus esset caro, hoc est, incarnatus et inhumanatus esset, et generationem nostrae similem, illam dico quae per sanctam Virginem *fuit*, propter nos ut hominibus congruit subiisset[4]. » ET POST ALIA: « Cur autem, reiecta unione, quamvis

* p. 325.

[1] P. Gr., LXXVI, 236. — [2] Ibid., 240. — [3] Ibid., 241. — [4] P. Gr., LXXV, 1264.

haec vox apud nos sit usitata, imo et a sanctis Patribus ad nos transmissa, adhaesionem vocant? Nequaquam tamen unio confundit ea, de quibus dicitur, sed concursum in unum eorum, quae unita intelliguntur, potius demonstrat. Neque in universum unum dicitur solummodo id, quod simplex unius speciei est, sed etiam illa, quae ex duobus et ex pluribus et ex specie diversis componuntur: sic enim res recte se habere videtur harum rerum peritis[1]. » ET POST ALIA: « At quis ita stupidus et imperitus sit, ut existimet aut divinam Verbi naturam mutatam esse in id quod non erat, aut translatam esse carnem secundum mutationis modum in *naturam* ipsius Verbi? Nullo modo enim *hoc fieri potest*. Unus igitur est Filius, unamque eius naturam dicimus, etsi agnoscitur factus in assumptione carnis animam rationabilem habentis. Ipsius enim, ut dixi, facta est humanitas; concipitur autem a nobis haud secus quam hoc modo Deus simul et homo[2]. » RURSUSQUE, PAULO POST: « Quam maxime quidem superflua loquitur, o amice, qui dicit confusionem et mixtionem fieri, si a nobis proclametur una natura Filii incarnata et inhumanata. Nemo enim veris et necessariis syllogismis huius demonstrationem facere posset. Sed si suam quidem voluntatem nobis legem statuant, excogitaverunt * consilium quod non possunt stabilire. Neque enim ad illos, sed potius ad Scripturam inspiratam, nobis attendendum est. Si autem censeant oportere natura hominis, quia cum divina natura collata nihil est, idcirco subripiatur et absumatur, ut aiunt ipsi, rursus dicemus: « Erratis nescientes Scripturam neque virtutem Dei ». Neque enim Deo bonorum amatori impossibile est seipsum mensuris humanis tolerabilem efficere; atque hoc nobis mystice praesignificavit cum Moysen initiaret et inhumanationis modum quasi typis adhuc delinearet. Etenim descendit quidem in ignis specie in rubum in deserto, et fulgebat quidem ignis in parva herba, sed haec tamen non comburebatur; Moyses autem visionem miratus est. Atqui, quomodo non repugnans ignis ligno? Quomodo autem sustinere posset impetus flammae materia succensu facilis? Sed, ut dixi, mysterii typus erat res, ostendens divinam Verbi

* p. 326.

[1] *P. Gr.*, LXXV, 1285. — [2] *Ibid.*, 1289.

naturam humanis mensuris tolerabilem esse, cum Ipse vellet: nam ceterum, adversus Illum nihil praevalet[1]. »

EIUSDEM; EX LIBRO SECUNDO COMMENTARII EVANGELII IOHANNIS: « Si autem servaverimus fide firma et absque dubitatione confisi erimus Verbum, iuxta Iohannis vocem, carnem factum esse et in nobis habitasse, quando videris ipsum tanquam carnem, hoc est, tanquam hominem loquentem, accipe ad confirmationem praedicationis sermonem homini convenientem. Neque enim aliter clare intelligi poterat eum, Deum et Verbum exsistentem, hominem factum esse, nisi scriptum fuisset impassibilem passum esse et excelsum humilia locutum esse[2]. » RURSUSQUE, EX LIBRO QUARTO: « In hoc autem maxime convenit * mirari sanctum evangelistam manifesto clamantem Verbum carnem factum esse. Non enim *Verbum* in carne factum esse, sed carnem factum esse non cunctatus est dicere, ut unionem demonstraret. Neque dicimus vel illum ex Patre Deum Verbum in carnis naturam mutatum esse, vel carnem in Verbum transivisse: mansit utrumque id, quod secundum naturam est, et unus est ex utroque Christus[3]. » RURSUSQUE, EX LIBRO SEXTO: « Ineruditionis igitur magnaeque profecto impietatis est nonnullos inconsiderate dicere: « Homo Christi ». Cum enim Deus esset, homo factus est, individuus in quantum est Deus et Filius cum carne: in his enim perfecta habetur confessio et cognitio fidei in illum[4]. »

* p. 327.

EIUSDEM; EX LIBRO PRIMO COMMENTARII EVANGELII MATTHAEI: « Quem sanguinem suum fudit Unigenitus propter amorem erga nos, si Christus erat, non quidem natura Deus, sed potius homo deifer? Aut quomodo doceret dicens: « Nemo ascendit in caelum, nisi qui descendit de caelo, filius hominis? » Nam quomodo descendit de caelo filius hominis, cum ex muliere sicut nos natus sit? Sed unum Christum recipies, neque in duo divides post unionem: nam « Verbum caro factum est, et habitavit in nobis[5]. » RURSUSQUE, EX LIBRO SECUNDO: « Nam si solummodo ut Deus venit, ineffabilem carni implicationem non sortitus, humana refugiat, servituti convenientia recuset; ea

[1] *P. Gr.*, LXXV, 1292. — [2] *P. Gr.*, LXXIII, 293. — [3] *Ibid.*, 580. — [4] *Ibid.*, 1012. — [5] Locum non repperi.

autem tantum, quae divinae gloriae conveniunt, cogitet. Si vero Deus exsistens Verbum caro, id est, homo, factum est, quodnam verbum * obiurgatorium erit, si fiat ut humana operetur[1]? » Rursusque, ex libro undecimo: « Nam factus est non in homine, iuxta nonnullorum amentiam, sed re vera ipse homo *factus est*, simul natura Deus exsistens[2]. » Et post illa, ex libro duodecimo: « Universorum enim creator et dominus, qui solo nutu caelum compegit, et illud quidem ut sedis suae tentorium extendit, terram autem firmavit, et ea, quae nunquam erant, ad existentiam vocavit; coram quo consistunt Principatus et Throni et Dominationes, cuique ipsa sancta Seraphim et milia milium sanctorum spirituum ministrant, et coram quo myriades myriadum stant, nullo tandem modo ab iis secretus, qui mali cuiusdam rei habentur, coram praeside stabat, et quidem iudicatus[3]. » Et post alia: « Extensis autem tenebris, usque ad horam nonam, humanam vocem emisit Unigenitus. Dixit enim: « Deus meus, Deus meus, utquid dereliquisti me? » Neque sensatus quis putabit ipsum vel tanquam infirmatum, vel robore indigentem talia dixisse: nam secundum naturam Deus est, ipseque virtus Patris esse intelligitur; haec autem rursus propter nos secundum dispensationem dixit[4]. »

Eiusdem; ex homilia quinta de evangelio Lucae: « Itaque noli perturbari neque rursus hanc ob causam deduci in reprobum sensum; sed unum Christum confitere Dei Verbum propter te inhumanatum. Noli vereri humana ipsi tribuere. Qui enim ex clementia maximaque humanitate nostri similis fieri tandem non dedignatus est, quomodo humana recusaret[5]? » Rursusque, ex homilia septuagesima: « Sed cur orat, si plenus sit * nulliusque ex Patris *bonis* indigus? Ad quod dicemus modum quidem dispensationis cum carne ipsi conferre quod libens humana quoque, tempore hoc suadente, impleat, quin ulli hac de causa reprehensioni obnoxius fiat. Nam si comedit et bibit et somno indulgens reperitur: quid absurdum si, nostris in mensuris constitutus humanamque iustitiam implens, haud indebitam frequentaverit orationem, etsi nullius rei eges-

[1] Locum non repperi. — [2] *Doctrina Patrum*, edit. Diekamp, p. 107, l. 1-3. — [3] Locum non repperi. — [4] Item. — [5] Item.

tate laborabat? Plenus enim erat, ut antea diximus. Cur ergo, et quid utilitati *nostrae* necessarium praeclare disponens, orationem frequentabat? Ut *scilicet* nos doceret, ne ad id torpe-remus, sed potius supplicationibus, et quidem assiduissime, incumberemus[1]. » Et paulo post: « Oportebat enim bonae et utilissimae rei nobis non aliud fieri principium, alium magistrum magis, quam ipsum qui in omnibus princeps est et omnium preces excipit[2], atque cum Deo et Patre ea, quibus indigent, petentibus se largitur. Itaque, quamvis illum videas humanitus orantem, ut orationis regulam discas, ne removearis ab agnoscendo censendoque quod, Deus secundum naturam exsistens et omnia implens, erat quidem in terra sicut nos et nobiscum ut homo, sed per dispensationem humana loquens; erat autem etiam sic in caelo consessor[3] Patris, et omnibus omnia de plenitudine sua largiens et omnium terrae incolarum supernorumque spirituum preces excipiens et ab illis laudibus coronatus. Neque enim discessit ab eo, quod sit Deus, quia nostri similis factus est, sed est etiam sic quidquid erat: ipsum enim esse decet, quia et * immutabiliter se habet nullamque vicissitudinis obumbrationem a se tolerari admittit, ut scriptum est[4]. »

Rursusque, ex homilia centesima quinquagesima quarta: « Vitae enim principem in mortem proicere studuerunt et Dominum gloriae crucifixerunt[5]. Quod cum factum esset, tenebras ait factas esse super omnem terram usque ad horam nonam. Hic contemplare, quaeso, visibilem creaturam fideliter nutibus obsequentem eius, qui ipsam ad existentiam adduxit. Voluit per Moysen liberare Israel ex dura servitute et ab Ægyptiorum oppressione eripere. At creatura tunc adversus Ægyptios pugnavit, et quasi arma cepit[6], Christo ipsi innuente: obsequitur enim, ut dixi, mandatis eius et ipsa elementorum natura. Profundae etiam tunc tenebrae obtinuerunt terram Ægypti per tres dies; sol cohibuit radios suos; caelum demisit grandinem; terra ranas, sciniphes et cenomyas evomuit. Scriptum namque est, quod « occidit in grandine vineam eorum et sycomoros

[1] Cfr *P. Gr.*, LXXII, 685. — [2] Hucusque, *ibid.* — [3] ὁμόθρονος vel σύνθρονος. — [4] Alteram loci partem non repperi. — [5] *P. Gr.*, LXXII, 937. — [6] ὅπλα κινεῖν.

eorum in pruina [1] ». Sed ut scirent illum ipsum esse, qui in ligno sublatus erat, qui simul armatam pro eis accepit creaturam, cum Ægyptios debellavit propter eos, lumen solis defecit, et per universam eorum regionem sparsae sunt tenebrae; rursus cohibuit sol splendorem suum, quasi nolens iam illum mittere iis, qui Domini sui interfectores facti erant [2]. »

Eiusdem; ex epistula ad monachos, cuius initium est: « Venerunt quidem nonnulli »: « Ex duabus igitur rebus, divinitate *nimirum* et humanitate, certissime est Emmanuel; unus tamen Dominus Iesus Christus, unus autem et vere Filius, Deus simul et homo, non * deificatus, eorum instar qui secundum gratiam *deificati sunt,* sed potius Deus verus in forma humana pro nobis factus [3]. » Et post alia: « Descendit enim in mortem nobiscum per propriam carnem, qui mortem nescit, ut nos quoque cum ipso ad vitam ascenderemus. Revixit enim et despoliavit inferos, non ut homo nostri similis, sed ut Deus in carne nobiscum et supra nos [4]. »

* p. 331.

Eiusdem; ex illa ad monachos epistula, cuius initium est: « Studium »: « Nam si Deus exsistens factus est homo, minime vero destitit esse Deus; si pars creaturae factus est, et mansit supra creaturam; si legislator exsistens ut Deus, sub lege factus est, et adhuc legislator est; et *si* Deus exsistens secundum divinitatem, formam servi accepit, et dignitatem qua Dominus est non amisit; si Unigenitus exsistens, factus est primogenitus in multis fratribus et est Unigenitus: quid mirum, si carne passus humanitus, impassibilis etiam sic intelligitur divinitus [5]? »

Eiusdem; ex Scholiis: « Si vero et passus dicatur Iesus, passio quidem erit dispensationis; ipsius autem dicitur, et rectissime, quia ipsius proprium est id, quod passum est, et erat in corpore patiente ipse, qui pati quidem nescit, — impassibilis est enim, ut Deus, — quantum tamen ad conviciatorum audaciam *pertinuit,* passum fuisset, si fieri potuisset ut pateretur. Itaque, quia nostri similis factus est Unigenitus, quotiescumque homo nominatur a Scriptura inspirata, intuentes dispensationem, Deum secundum naturam ipsum etiam sic esse confiteamur [6]. »

[1] Hanc loci partem non repperi. — [2] Hanc ultimam partem videas in *P. Gr.,* LXXII, 465. — [3] *P. Gr.,* LXXVII, 28. — [4] *Ibid.,* 37. — [5] *Ibid.,* 312. — [6] *P. Gr.,* LXXV, 1388.

* p. 332.

* Eiusdem; ex epistula ad Acacium, episcopum Militinensem: « Quapropter, ea ex quibus est unus et solus Filius et Dominus Iesus Christus velut in cogitationibus apprehendentes, duas quidem naturas unitas esse dicimus; verum, post unionem, tanquam sublata iam sectione in duas, unam credimus esse naturam Filii, tanquam unius, sed inhumanati et incarnati [1]. »

Eiusdem; ex epistula secunda ad Succensum, adversus instantiam et propositionem eorum, qui dicunt: « Quomodo duas naturas non concedemus subsistere indivise post unionem? »: « Adversatur iterum nihilo minus propositio iis, qui unam esse dicunt naturam Verbi incarnatam, idque ineptum volentes ostendere, ubique conantur duas naturas subsistentes ostendere. At eos fugit ea omnia, quae non sola contemplatione separari solent, prorsus etiam in diversitatem distinctam omnino et singillatim a se mutuo recedere. Sit autem nobis rursus in exemplum homo nostri similis. Duas namque naturas etiam de ipso intelligimus, animae unam, corporis autem alteram. Sed meris cogitationibus separantes et subtilibus contemplationibus seu phantasiis intellectus differentiam apprehendentes, non seorsum ponimus naturas, neque rursus perfecte virtutem sectionis in illas permittimus, sed unum illas esse intelligimus, ita ut illae duae *naturae* non iam sint duo, sed utraque unum animal absolvatur [2]. »

Eiusdem; adversus reprehensionem impii Theodoreti adversus decimum capitulum seu anathematismum: « Si enim * vera est unio, non duo quidem omnino sunt, sed ex utroque unus et solus intelligitur Christus. Igitur evidens est quia fingunt quidem se confiteri unionem, simplicium mentes captantes; adhaesionem vero sapiunt eam, quae est extrinsecus et habitudinalis, quam et nos habuimus, divinae naturae ipsius participes per Spiritum demonstrati [3]. » Rursusque, ad reprehensionem undecimam: « Hominem autem assumptum esse a Deo non placet sanctis Patribus; nunquam enim ita senserunt, sed ipsum potius ex Deo Verbum asserunt factum esse hominem et unitum esse carni animam intelligentem habenti; inconfusa

* p. 333.

[1] *P. Gr.,* LXXVII, 192. — [2] *Ibid.,* 245. — [3] *P. Gr.,* LXXVI, 445.

autem et a mutatione penitus libera est unio, nam immutabile est Verbum Dei: et sic credimus[1]. »

EIUSDEM; EX PRIMA ORATIONE ADVERSUS THEODORUM MOPSUESTENUM DEO REPUGNANTEM: « Stupefactum est caelum super hoc et contremuit amplius vehementer, dicit Dominus. O intolerabilem malignitatem! O linguam loquentem iniquitatem adversus Deum et mentem extollentem in altum cornu suum! Parvum esse tibi videtur affixum esse ligno Dominum gloriae, quem tu quidem neque verum Filium, neque Deum esse dicis, nos autem credimus vere esse Filium et Deum, creatorem et auctorem omnium. Neque enim simplex homo erat, sed in forma nostra illud, quod ex Deo Patre, Verbum, non conversionem aut mutationem in carnem passum, sed ipsi potius unitum, secundum fidem sacrarum Scripturarum. Ipse, qui in carne passus est et in ligno pependit, fecit *miracula in Ægypto ea, quae per sapientissimum Moysen *facta sunt*, gloriam suam instaurans[2]. »

PROCLI, EPISCOPI CONSTANTINOPOLITANI; EX ORATIONE IN CHRISTI NATIVITATEM SECUNDUM CARNEM, SEU IN DEI GENITRICEM VIRGINEM MARIAM: « Qui secundum naturam impassibilis est, factus est propter misericordiam multis passionibus obnoxius. Non per profectum Christus factus est Deus, absit! sed propter misericordiam factus est homo, cum Deus esset, ut credimus. Non hominem deificatum praedicamus, sed Deum incarnatum confitemur. Ancillam suam sibi matrem effecit, qui secundum substantiam *est* sine matre et secundum dispensationem sine patre. Secus, quomodo idem, iuxta dictum Pauli, sine patre, sine matre? Si est purus homo, non est sine matre: matrem enim habet; si est nudus Deus, non est sine patre: patrem enim habet. At nunc, idem sine matre quidem ut plastes, sine patre autem ut plasma[3]. » ET POST ALIA: « Et factus est homo, ut ipse novit: oratio enim rem explicare nequit. Et moritur secundum quod factus est, et salvat id, in quo erat, iuxta verbum Pauli dicentis: « In quo habemus redemptionem per sanguinem ipsius, remissionem peccatorum[4]. » RURSUSQUE, POST ALIA: « Ipse namque et spineam coronam gestavit et spi-

[1] *P. Gr.*, LXXVI, 449. — [2] *Ibid.*, 1439 (latine tantum). — [3] *P. Gr.*, LXV, 684. — [4] *Ibid.*, 685.

narum sententiam dissolvit; idem in sinu Patris et in utero Virginis; et in ulnis matris et super pennas ventorum; ab Angelis adorabatur et cum publicanis discumbebat; Seraphim in illum non aspiciebant et Pilatus illum interrogabat; servus colaphis illum caedebat et creatura horrebat; cruci affigebatur, nec thronus *deserebatur; in sepulcro recludebatur et caelum ut tentorium extendebat; inter mortuos reputabatur et infernum despoliabat; infra seductor calumnia vocabatur et supra sanctus glorificabatur. O mysterium! Miracula video et divinitatem praedico; passiones video, nec humanitatem inficior. At Emmanuel naturae quidem portas ut homo aperuit, virginis autem claustra ut Deus non reseravit[1]. »

EIUSDEM; EX EPISTULA AD IOHANNEM, EPISCOPUM ANTIOCHENUM, CUIUS INITIUM EST: « UT VIDETUR, INSIGNIS POETAE INSTAR »: « Rursus autem Deum passibilem, hoc est, Christum dicentes, confitemur illum passum non secundum quod erat, sed secundum quod factus est, hoc est, propria carne; sicque praedicantes, nullo modo erramus, quia etiam unum ex Trinitate carne crucifixum confitemur, et divinitatem passibilem minime calumniamur[2]. »

EIUSDEM; EX EPISTULA AD UNIVERSOS EPISCOPOS ORIENTIS, CUIUS INITIUM EST: « MULTIFARIAM RE VERA MULTISQUE MODIS »: « Et incarnatur quidem immutabiliter, qui sine specie est; nascitur autem secundum carnem, qui sine principio est; proficit vero corporis statura, qui natura perfectissimus est; et passionibus se submittit, qui passionibus superior est, non eo quod erat iniurias sustinens, sed eo quod factus est suscipiens corporis passiones[3]. »

EIUSDEM; EX EPISTULA AD ARMENIOS, CUIUS INITIUM EST: « NON MEDIOCRITER FRATRES MEI »: « Dicimus igitur, utrisque Scripturae vocibus utentes, eum et carnem factum esse, et servi formam accepisse; et utraeque pie intellectae, semina *nobis sunt salutis. Nam per hoc « factum est », τὸ individuum summae unionis evangelista nobis subindicat: ut enim monas in duas monades insecabilis est, — quae enim dividitur, non monas est, sed duas; — ita illud secundum summam unionem

[1] *P. Gr.*, LXV, 689. — [2] *Ibid.*, 876 (latine tantum). — [3] *Ibid.*, 888.

unum non potest in duo secari. Illud autem « accepit », immobilitatem naturae clamat[1]. » Et post alia : « Dicamus ergo cum Paulo : « Christus est pax nostra, qui fecit utraque unum ». Iudaeos enim et gentiles per baptismum in unum novum hominem condidit, uniens potentia, quae conversatione dissidebant. Horreant damnationem ii, qui novatores fiunt in impietatem ; si dissidentia quidem in concordiam unita sunt, is vero, qui univit, quantum in illis est, divisus est[2]. »

Theodoti, episcopi Ancyrani ; ex homilia cui titulus : « In nativitate Christi » : « Propterea dicimus eum et mansisse id, quoderat, et factum esse id, quod non erat. Manens enim secundum substantiam id, quod erat, suscepit passiones, cum semetipsum univisset naturae passibili. Obediens factus est, regnum non deponens ; homo factus est, manens Deus ac Verbum ; incorporeus secundum naturam, immutabiliter factus est caro. Qua autem ratione et quo modo ? Non sicut tu cogitare potes, sed sicut ipse mirabiliter facere valet. Cum autem miraculum tibi dico, mitte cogitationes : signa enim et mirabilia Dei fide confirmantur, non rationibus explorantur. Nullum enim aliud ex miraculis secundum rationem nostram est ; sed tamen unumquodque eorum factum est, licet cogitatio nostra non assequa- * p. 337. tur * illam rem[3]. » Et paulo post : « Et hoc nobiscum confitentur omnes, qui unionem confitentur divinitatis et humanitatis. Quod enim unitum est, non iam est duo, sed unum nominatur[4]. » Et post alia : « Porro nos ostendimus pauperem factum esse propter nos eum, qui ratione divinitatis dives erat et salutem facile parabilem omnibus fecit. Quod significans magnus Paulus dicebat : « Propter nos pauper factus est, cum esset dives, ut nos illius paupertate ditaremur ». Et quis erat iste dives ? et qua re dives ? et quomodo ille pauper factus est pro nobis ? dicant nobis qui a Deo Verbo hominem dividunt, et quod unitum est dividunt commemoratione naturarum, duo quaedam dicentes Christum, et *formulam* « cogitatione tantum » ad defensionem afferentes[5]. » Rursusque, post alia : « Cur consistis ad passiones, nec vides miros effectus passio-

[1] *P. Gr.*, LXV, 861. — [2] *Ibid.*, 869. — [3] *P. Gr.*, LXXVII, 1356. — [4] *Ibid.*, — [5] *Ibid.*, 1361.

num ? Cur Deo indignam dicis passionem, qua Calumniatoris tyrannis soluta est ? Cur Deo indignam dicis paupertatem, per quam mundus pietate ditatus est ? Cur Deo indignam dicis mortem qua Deus mortem solvit ? Cur Dei non dicis crucem, qua Deus de malitia daemoniorum triumphavit ? Cur hoc solum non dicis Dei, quo peccatum meum ligno affixit ? Noli derogare passionibus, ex quibus impassibilitas generatur.[1]. » Rursusque, post alia : « Ne ergo ad naturas divisas cogitationem demittas, Deo summam mirificante unionem. Crede miraculo, et noli rationibus perscrutari quod factum est. Noli miraculum solvere, contendendo invenire * eius rationem : non enim * p. 338. manet miraculum id, cuius ratio innotescit[2]. »

CAPUT QUADRAGESIMUM ALTERUM.

Appendix orationis, totum operis argumentum paucis iterum indicans.

Haec sunt quae senserunt mystagogi, qui sincerum, rectum atque sanum verbum docuerunt sanctam, quae in tota sub sole *terra* est, ecclesiam inde ab aetate sacrorum divorumque Apostolorum et ad hanc diem. Haec ad te, fidelis et Christi amantissime frater, qui mihi notum fecisti indoctum et omni impietate plenum Grammatici libellum, zelo tuo excitatus scripsi : qui *libellus* vel ab ipso editus est, vel extraneus accessit, sicut unus ex puerulis qui mulieribus delegantur.

Scito autem hanc nostram compositionem a me divisam esse in tres orationes, in honorem sanctae et consubstantialis Trinitatis quam, quantum in ipsis est, quaternitatem efficere contendunt ii, qui impie Emmanuelem dualitate naturarum post ineffabilem unionem dissecant : non quod adeo necesse fuerit haec omnia dici adversus ea, quae ab isto divinarum rerum ignaro effutita sunt, sed ut omnes sciant quanta qualisque sit confutatio impietatis istius, cuius patronus fieri voluit. Etenim curae mihi fuit occurrentibus ostendere ut potest prae-

[1] *P. Gr.*, LXXVII, 1365. — [2] *Ibid.*, 1368.

sentis enarrationis vim, potius quam loquacitatem garritus ab isto contexti, ad quem exiguum verbum satis fuisset.

* p. 339. * Habes igitur, o fidelis frater, hanc lucubrationem testimoniis quoque Scripturae inspiratae et sanctorum Patrum, qui illam sine fraude interpretati sunt, munitam, imo ipsis haereticorum vocibus armatam eorumque appositione redarguentem impietatem, quae prae se fert speciem pietatis et artificiose ac dolose contendit per ipsam decipere, et quod non est vi adducit ut deceptione id esse censeatur. Quapropter tum ipsas sententias, tum initia orationum in locis, ubi necessarium visum est, studiose exscripsi, ut ea ipsa cum tempus posceret ex ipsis libris, Deo iuvante, prompte afferrem. Itaque tractatus claras quidem ac sacras doctorum veritatis voces extollit sicut virgam Moysis a Deo datam, et percutit, sicut magorum serpentes, virulentas impietatis sententias; haereticorum autem voces in ipsos vibrat, sicut strenuus dux Samson, qui asini, impuri et mortui iumenti, et quidem iam putrefacti, maxillam hastae instar in Philisthaeos protulit, atque eius ope multas illorum caedes effecit et illorum turpem irridens mortem dixit: « In maxilla asini delens delevi eos[1] ».

In Christo Iesu Domino nostro, quocum Patrem decet gloria, cum sanctissimo Spiritu, nunc et semper et in saecula saeculorum. Amen

Explicit tertia oratio venerabilis patriarchae Severi antiocheni contra impium Grammaticum.

[1] *Iudic.*, xv, 16.

INDEX TOMI VI.

SEVERI PATRIARCHAE ANTIOCHENI LIBER CONTRA IMPIUM GRAMMATICUM

ORATIO TERTIA

(Partes servatae duarum priorum orationum operis tomo VII prodibunt.)

Locupletiores indices ad calcem tomi sequentis tradentur.